Digitized by Google

14740

INVENTARIO N. [redacted]

BIBLIOTECA GIORGIO DEL VECCHIO
46
I
1
UNIVERSITÀ DI ROMA
ISTITUTO DI FILOSOFIA DEL DIRITTO

6.

BIBLIOTECA GIORGIO DEL VECCHIO
UNIVERSITÀ DI ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

GODOF. GUILIELMI
L. B. DE LEIBNITZ

NOVA METHODUS DISCENDAE DOCENDAEQUE JURISPRUDENTIAE

EX

ARTIS DIDACTICAE PRINCIPIIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

GOD. GUIL. LEIBNITZII

NOVA METHODUS

DOCENDAE DISCENDAEQUE JURISPRUDENTIAE.

PISIS AN. MDCCLXXI.

SUMPTIBUS AUG. PIZZORNO *S. P.*

BIBLIOTECA GIORGIO DEL VECCHIO
UNIVERSITÀ DI ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

e Conſtantinum
5.
Rituum & Sancto
Regiminis Pontif

ammatica, huc c
etorica Legalis
idactica §. 47. h

ejuſque { ubi / rur / ubi / Synta

mentare, Hiſto
idque { Term / Praec

geticum { Serie / Inſtit

emicum, circa
erum §. 99.
Tempus Comput

GIORGIO DEL VECCHIO
UNIVERSITÀ DI ROMA
BIBLIOTECA

Digitized by Google

PRAEFATIO

CHRISTIANI L. B. DE WOLF.

TAnta ſunt LEIBNITZII in rem litterariam univerſam merita, ut non modo totius Germaniae, verum etiam orbis eruditi univerſi lumen & ornamentum magno ſuo merito celebretur. Vaſtam eruditionem & ſcientiam cum virtute, ſine qua gloria vera, gravi, & ſolida nemo excellere poteſt, arctiſſimo vinculo copulans, aeternam gloriam conſequutus, ut, qui nefando auſu eam imminuendo ventoſam gloriam quaerit, nullam nanciſcatur. Adoleſcens ſtudio Juris potiſſimum ſe conſecraverat, ſed more minime vulgari ſe eidem dedit, quum non modo ſcripta clariſſimorum Juriſconſultorum, verum etiam auctorum quorum, cumque Graecorum & Romanorum, Philoſophorum & Mathematicorum tam veterum, quam recentiorum, ipſorum etiam Teologorum, omni aſſiduitate & diligentia perlegeret atque omnia perſcrutaretur, ita ut vix juvenis factus eruditione altiſſima & ſcientia inter viros doctiſſimos emineret. Non opus eſt verbis, ubi rerum teſtimonia adſunt. Etenim vix annum aetatis vigeſimum primum compleverat, quum in lucem publicam proferret libellum mole exiguum, ſed doctrina ſubtiliore ac uberrima gravem de Nova Methodo Diſcen-

Digitized by Google

dae Docendaeque Jurisprudentiae, quam in itinere omni librorum apparatu (§. 34. p. 2.) destitutus is conscripserat, ut in bibliotheca instructissima confectus videatur, & acre ac subtile auctoris acumen spiret. Diu libellus hic desideratur & a multis frustra quaesitus fuit. Merebatur itaque, ut denuo recuderetur. Sunt tamen nonnulla, quae moneri consultum duco. Scripsit, quemadmodum dixi, hoc opusculum LEIBNITZIUS, vix juvenis factus. Quoniam vero per omnem aetatem, quamdiu vixit, in omni studiorum genere indefessus haesit, & veritatis amore nihil umquam antiquius habuit atque carius; mirum sane videri minime debet, quod in nonnullis, quae juvenis olim statuerat, postquam ea severiori examini subjecerat, sententiam suam mutaverit. Ita e. g. in theoria motus concreti, quam sibi juveni excidisse ipse confessus est in Actis Eruditorum, quae Lipsiae eduntur, admittit vacuum, & materiae non tribuit nisi simplicem extensionem ad motum atque quietem prorsus indifferentem, nec alia agnoscit corporum elementa, quam particulas mole ac figura differentes: quae tunc temporis communis erat philosophorum sententia, antiquis eorum CARTESIO atque GASSENDO approbata. Enim vero ubi judicio magis limato & polito perpenderat inextricabiles difficultates, quas hypothesis illa affert, & quam ea abhorreat ab omni ratione evidenter perspexerat, missam eandem fecit, quumque omni animi con-

Digitized by Google

contentione in naturam corporum inquireret, ea ſine vi activa concipi non poſſe, nec ſine vi, qua omni mutationi reſiſtunt, quae aliunde venit, didicit, tandemque agnovit, phaenomena iſta intelligibili modo explicari minime poſſe, niſi admittantur ſubſtantiae ſimplices, quas *Monades* appellavit. In eo autem ſibi adeo ſatisfecit, ut mihi dixerit, ſe ſuum de *Monadibus* ſyſtema eodem rigore demonſtraturum, quo Euclides ac veteres geometrae theoremata ſua demonſtrarunt, ſi animum huc apellere per alia vacaret, nec ſe propterea a multis jam annis amplius legere quidquam, quod de principiis rerum materialium in lucem ab aliis editur. Videant ergo, quo jure LEIBNITZIUM praecipitantiae cujuſdam in judicando, & neſcio cujus defectus acuminis accuſent, qui in iis, quae nondum ſatis explorata olim juveni placuerant, ſibi reperiſſe videntur non quod pueri in faba, & iis audacter tamquam ipſi ignorata objiciunt, quae ſolidiore diſcuſſione facta animum ſciendi cupidum exſatiaverunt. Quod ſi cui glorioſum videatur perſpicacia aequiparari LEIBNITZIO juveni, an non is famae ſuae melius conſuleret, ſi acumini ſuo diffidens hebetudinem ingenii ſui agnoſcere mallet, quod ea perſpicere nondum poſſet, quae LEIBNITZIO viro innotuérunt: poſtquam omnes ingenii ſui nervos in ea exploranda intenderat, publice tamen magis indicavit, quam ſufficienter explicavit, ut, quemadmodum dicere ſolebat, fungere-

geretur vice cotis. Sane si LEIBNITZIO juveni haec excidissent, dum nimia ac multivaria lectione obrutus omnia concoquere non poterat, excusatior erat fastus, quo quis eodem acutior videri affectat. Verum enim vero non opus est, ut exempla e longinquo petamus, quibus LEIBNITZIUM maturiori aetate in nonnullis mutasse sententiam suam, & a vulgaribus opinionibus, quas juvenis amplexus fuerat, discessisse: occurrunt talia quoque in praesenti libello. Certe quae de infusione diabolica (*part. I.* §. 9.) tradit, ea cum systemate Harmoniae Praestabilitae, quod postea demum invenit, minime consentiunt: consequenter dubitandum non est, eum in aetate provecta opinionem nullo fundamento nixam rejecisse. Huc etiam pertinet, quod (§. 35.) animum nostrum causam motus corporis pronunciet, ut ideo juvenis falso sibi persuaserit, se in Pneumatica & Philosophia Practica propriis meditationibus ad certitudinem mathematicam perveniss: neque enim illo tempore eos adhuc fecerat in Mathesi progressus, quos postea demum fecit, ubi Parisiis degebat, & consilio Hugenii, Mathematici consummatissimi, usus in ima adyta scientiae penetrabat. Quamobrem quoque nullus dubito, LEIBNITZIUM aetate maturiori minime probasse rationem, quam reddit (*part.* 2. §. 2.) cur & quatenus Testamenta sint juris naturalis, quippe quae magis ingeniosa, quam solida est. Haec ideo moneri non abs re esse duxi, ne

quis

Digitized by Google

quis LEIBNITZIUM sibi adversarium constituat in iis, quae ipse tamquam a veritate aliena, mutata sententia rejecit; & ne quis contradictiones fingat, aut insciticiam accusat in illis, quae, accuratiori examine facto, ad errores vulgares retulit. Alterum, quod bene notandum, hoc est: In praesenti opusculo LEIBNITZIUS multa promittit ab aliis neglecta, quae dare voluit. Exempli loco esto Theatrum Legale, & Historia Juris Romani Specialior, seu Liber de Auctoribus Juris Romani (de quibus vide §. 29. *part.* 2.). In primis huc facit Catalogus Desideratorum in Jure, libello huic in fine adjectus, & ex eodem excerptus, quem proxime minuere pollicitabatur. In nullo tamen stecit promissis, etsi vitam satis longam in solo otio litterario confeciſſe videatur; quum enim haec scriberet, ad professionem quamdam juris in aliqua Academia adspirabat. Quod si votis, quae tunc ipsius erant, respondisset eventus, nullus amplius foret Catalogus Desideratorum, & alia opera egregia prostarent, quibus jurisprudentia fuisset ad id perfectionis fastigium evecta, a quo adhuc tam procul abest, quam illo tempore, quo Catalogus Desideratorum condebatur. Quoniam vero longe alia fuerunt LEIBNITZII fata, quam praevidere potuerat, quum unus homo omnibus non sufficiat, deficiente tempore, si vel maxime non deficiant vires, a Jurisprudentia ad alia prorsus studia avocatus, de iis, quae ad Jurisprudentiam perficiendam

tendunt, cogitare, haud quaquam potuit. Non eſt quod objicias, LEIBNITZIUM quoque maturiori aetate multa promiſiſſe, quorum nihil perfecit, veluti Scientiam Dynamicam, Scientiam Infiniti, Geometriam Situs, Commercium Epiſtolicum, Commercium Epiſtolico Anglorum opponendum, aliaque non minoris ponderis ac utilitatis. Quum enim nihil magis curae haberet, quam ſcientiarum incrementa, & ea promovendi cupidine inexſatiabili flagraret; ſi qua occaſione ferente ipſi incidebat cogitatio de iis, quibus perficiendis vires ſuas pares noverat, ea quoque perficere ſibi propoſuit. Aſt quoniam tempus non eſt res venalis; quod volunt vota, tollunt fata, nec homo ſeſe obligare ad id, quod haec reddunt impoſſibile. Ceterum etſi praeſens libellus a LEIBNITZIO juvene fuerit conſcriptus, & quamvis ipſe in nonnullis, quae rem ipſam non contingunt, mutaverit poſtea ſententiam ſuam; hoc tamen non obſtante, in illo reperient etiam ſeniores juriſconſulti, quibus eorum conatus in perficienda jurisprudentia juvari poterunt, & ipſum hoc opuſculum monumentum excelſi ingenii eſt, quo inter primi ordinis eruditos eminet LEIBNITZIVS. Faxit Deus, ut publica utilitas, quam ſe quaeſiviſſe in fine profitetur auctor, promoveatur. Halae, d. 24. Aprilis, an. 1748.

PRAE-

Digitized by Google

PRAEFATIO
AD LECTOREM.

NEscio an praefationem tibi debeam, benevole lector, quum tantilla Scheda praefationis instar prope tota haberi videatur. Sed tamen mos mori publico gerendus est. Ehodum, inquies, cur ergo tu nova libro moliris, quum nolis forma libri? Quia, inquam, haec ad decus, argumentum scripti ad necessitatem pertinet. Sed sunt hodie nonnulli, qui caligant in tanta luce mundi, maluntque, inventa fruge, glandibus vesci; horum odia omnibus imminent, qui meliora moliuntur. Ac jam olim *Laurentium Vallam*, quod dialecticam ac moralem Philosophiam reformasset, contra furorem Sophistarum vix potuit favor regius tutari, quemadmodum in Apologia ad Pontificem Maximum ipse narrat *Petrum Ramum*, Professorem regium, qui Aristotelem examinare, quam sequi maluerat, omnium tota Gallia Germaniaque paedagogorum odia exercuerunt, donec in Parisiensibus illis nuptiis Aristotelis Manibus immolaretur: quis *Galilaei*, quis *Th. Campanellae* fata ignorat, quorum alteri exilium minati sunt, alterum lento carcere presserunt: *Nicodemus Frischlinus* a Collegis suis ad mortem usque passus est persequutionem, & tamen de igrammaticis tantum quaestionibus certabatur: Neominus *Gaspar Scio-*

Digitized by Google

pius novis sane Grammaticae Philosophicae regulis, ad compendium tamen discendi mire accommodatis, odium omnium per Italiam puceritiae doctorum in se concitavit: nihil de *Renato Cartesio* Philosophiae, nihil de *Guilielmo Harveo* Medicinae reformatore dicam, quorum nullus invidiam aequalium, nullus odia vulgi effugit donec emicuit veritas, & in ipsis saepe calumniatorum animis tryumphavit. Nos nihil ad tanta nomina, si proprias tantum meditationes, non magnorum virorum reperta proferremus, quorum nullus est, qui non meliorem docendi rationem desideret, quam nonnulli in liberorum suorum ingeniis experti sunt. Reperias enim hoc tempore puellos plurimos, doctissimorum plerumque filios, ad miraculum usque in prima aetate eruditos, non tam ingenii magnitudine, quam arte institutionis. Judicium enim, etsi ante annos non veniat, potest tamen & in pueritia interrogando excitari: hoc enim voluit *Platonis* reminiscentia, exhibitumque specimen in Menone, ubi puerum Socrates a primis sensuque manifestis, nihil docens, interrogando tantum, ad ea deducit, quae vel subtilissimo cuique negotium facessant, incommensurabilitatem scilicet diagonii & lateris in quadrato. Haec non desunt qui fateantur sed singulares quasdam in contrarium rationes habent, scilicet doctos esse jam tum nimis multos: & praematuram institutionem obtrudere juvenes officiis, auctoritate experientiaque carentes, surrecturam sciolorum

rum

rum ſegetem, cavillatorumque rudioris ſenectutis; ſequutura praecipitia conſilia, & quaecumque ſunt mala juvenum Senatorum. Sed hi conſilia noſtra aliorſum accipiunt, neque enim id agimus, ut cito juvenes ad munera publica veniant, ſed ut digni. Quia enim vita brevis, ars longa eſt, non poteſt nimis inſtitutio accelerari. Erit hoc manifeſtius, ſi de tota ſtudiorum ratione (etſi juriſconſultum in primis formandum ſuſceperimus) in limine ad majorem ſequentium lucem differemus. Nam & *Hugo Grotius* in egregia de ſtudio politico ad Beniaminum Auberium Legatum Regium epiſtola, & *Chriſtopborus Colerus* in alia ejuſdem argumenti, & *Giſbertus Voetius*, *Meyeruſque* Bremenſis in Bibliothecis Theologicis, ac *Michael Havemannus* in Amuſio, tum etiam *Henricus Moreelſe* in diſſertationibus de Studio juris, a tota ſtudiorum ratione rem repetiere, perque omnes ſe diſciplinas diffudere: quarum in *corpore juris* veſtigia reperiri demonſtratum a nobis eſt *in Specimine Quaeſtionum Philoſopbicarum ex Jure Collectarum.* Sicubi labimur, benevole lector, cogita quam ſaepe utilia ſuadeamus, & compenſatione facta errorum obliviſcere. Denique ſic habe, nos quae facienda diſcendaque dicemus, minime gentium omnia ipſos feciſſe vel dediciſſe; abſit haec a nobis jactantia, quia olim haec a nobis rerum cognitio abfuit; ſed nos crede fungi vice cotis, acutum reddere quae ferrum ſolet, exſors ipſa ſecandi. Ita vale, & noſtra ſive placent, ſequere, ſive diſplicent, perfice.

BIBLIOTECA GIORGIO CINI UNIVERSITÀ DI ROMA

PARS I.

GENERALIS, CETERISQUE FACULTATIBUS COMMUNIS.

De Ratione Studiorum in universum.

§. 1. *Studiorum ratio* est species quaedam *rationis status*, id est, modus perveniendi ad statum actionum perfectarum.

§. 2. *Status* autem iste dicitur *habitus*, quem definio, agendi promtitudinem adquisitam permanentem.

§. 3. *Subiectum habitus* est quidquid actionis capax est: nam & inanimata certis actionibus assuefieri posse constat. Ita chymici multis circulationibus spiritum vini volatilissimum reddunt, & multis distillationibus ac cohobationibus cum menstruo, ipsa metalla sup a albembicum itura, communi consensu docent; laminas etiam multis flexionibus habitum certo modo resiliendi adquirere docuit in elementis de Corpore *Th. Hobbes.*

§. 4. *Bruta* docilia esse dubitare non potest, qui vel *Hyer. Rorarii* libellum, vel Pliniana elephantis funambuli miracula, vel elephantis canisque panegyricos in *Lipsii* Epistolis legit; quae om-

omnia credibilia fecit Viennenſe nuperum choreas ducentium equorum ſpecimen.

§. 5. Quumque infantes extrinſeco rationis uſu primis annis a brutis parum differant; informatores eorum a brutorum doctoribus nonnulla non incommode mutabuntur; habent enim peculiaria ſua artificia magiſtri equorum, canum, avium, in loquendo, canendo, venando.

§. 6. Generale autem inſtrumentum eſt eſcae, quum parent, copia, quum abnuunt, denegatio.

Quis expedivit Pſittaco ſuum χαῖρε,
Corvos quis olim concavum ſalutare,
Picaſque docuit noſtra verba conari?
Magiſter artis, ingeniique largitor
Venter, negatas artifex ſequi voces.

Ita balearica gens narratur non prius cibum pueris praebuiſſe, quam propoſitum ſcopum tetigiſſet, &

pueris dant cruſtula blandi
Doctores, elementa velint ut diſcere prima. Ab hoc more reſtat in nonnullis ſcholis convitum habentibus, poena jejunii, *das cariren*.

§. 7. Licebit hoc artificio ad infantes uti, non vero in liberalia ingenia jam ratione utentia, quibus pro pabulo corporis objiciendum pabulum animi, id eſt, honor. Unde ortus eſt claſſium, locationumque in ſcholis trivialibus, & promotionum in academiis mos: & olim qui egregie ſteterant, a ceterorum puerorum corona cum laude domum deducebantur; quod exemplo Ciceronis conſtat.

Digitized by Google

§. 8. Tantum de *ſubjecto habitus: cauſa* vel *modus adquirendi* eſt vel ſupernaturalis *infuſio*, vel naturalis *aſſuefactio*, quae in ſentientibus, qua talia ſunt, dicitur *Doctrina*.

§. 9. *Infuſio* eſt vel *divina*, vel *diabolica*. *Divinae* exempla habemus in dono linguarum apoſtolico; etſi quidam ultra illam ecſtaſin durare non putent, quo ſenſu non eſſet habitus, quia non permanens. In hiſtoria eccleſiaſtica ſimile habemus exemplum de S. Ephrem Syro, qui precibus Baſilii Magni ſubitam linguae graecae cognitionem obtinuit. Noſtris temporibus *infuſionis diabolicae* in mancipia ſua exempla non deſunt, nec hodie omnis *infuſio divina* abeſſe putanda eſt; hoc enim fine divinam ſtudiis noſtris benedictionem imploramus.

§. 10. Ab *Infuſione* properamus ad *aſſuefactionem*, quae fit per actionis imprimentis *quantitatem*. *Quantitas* autem eſt vel *extenſiva*, vel *intenſiva*: *extenſiva* conſiſtit in *actionum multitudine*, intenſiva in *magnitudine*, ſeu ad habitum imprimendum *fortitudine*. Prius requiſitum etiam vulgo notum eſt, quum dicunt, habitum comparari crebris actionibus, de poſteriori ſilent.

§. 11. *Multitudinis*, ſeu *crebritatis in agendo* efficacia confirmatur vulgari illo,

Adde parvum parvo, magnum cumulabis acervum:

& Ovidius canit:

Gutta cavat lapidem, conſumitur annulus uſu,
Et teritur preſſa vomer aduncus humo.

Quo

Quo pertinet Aesopi Testudo Aquila celerior, & Germanorum proverbium: *wer langsam geht, kommt auch nach.* Hinc fluxit illud generis humani artificium, rem, si tota oppugnetur, insuperabilem, per partes aggrediendi: limâ marmora scindimus, montes corbibus avehimus, situla lacus exhaurimus: ita in arithmeticis ingentes summas per partes computamus, & in geometricis campos in triangula partimur.

§. 12. Nata est ex hoc principio *repetendi necessitas*, a qua praecipue ultimum habitus requisitum, *permanentia*, dependet: usu enim compertum est, alios figuras celeriter accipere & amittere, ut tabulam ceream, alios utrumque tarde, ut aeneam: quemadmodum alii flammas irarum celeriter accipiunt & amittunt, ut stipula, alii utrumque tarde, ut ferrum ignitum. Hinc Pythagorei negabant, quemquam somnum capere debere, antequam

Omnia totius repetiverit acta diei:

repetitionem enim nocet esse nimis dilatam in annum usque, ut vulgo in scholis fit, sed decet sub noctem diurna studia, exitu septimanae summam dierum, exitu mensis summam septimanarum, & fine anni summam mensium reperendo summari, & ex singulis gradibus notatu dignissima ruminari, quod nescio, an hactenus observatum sit a quoquam.

§. 13. Ex eodem fonte insignis didacticus *VVilhelmus Schickardus* mirabile Hebraicae linguam docendi derivavit artificium, quod Ho-

BIBLIOTECA REGIA UNIVERSITATIS ROMA

Digitized by Google

rologio ſuo ipſe exponit: ſcilicet 12. pueros ſimul inſtituit, in hos grammaticam ſic partitus eſt, ut alii regulas nominis, alii pronominis, &c. alii partem hanc, alii aliam ſyntaxeos tribueret. Ita factum eſt, ut, uno recitante aut reſpondente, ceteri attendentes, portione eius tandem ludendo diſcerent. Et hac ratione hodieque in ſcholis deceret non pluribus idem aſſignari, ſed lectionem in ſingulos diſtribui, qui ſimul juncti egregiam tandem harmoniam conſtituent.

§. 14. Et tantum de *multitudine actionum*. Sequitur earum *intenſio* ſeu *magnitudo*: nam ſaepe una actio, ſingulari quadam vi imprimendi facta, plus efficit multis repetitionibus; v. g. facti alicujus ſingularis, joci inexſpectati, actionis cum ſingulari noſtra fortuna conjunctae, v. g. quae laudem vel pudorem nobis peperit, facile meminimus. Ex hoc principio infra (§. 23.), ubi de *mnemonica*, oſtendemus notas, quo ſenſibiliores ſunt, hoc plus ad memoriam efficere.

§. 15. Conſultiſſimum autem eſt, *multitudinem, magnitudinemque temperare*. Quod fit egregie, ſi, a minimis incipiendo, continue per gradus ad ſumma creſcat actio: quod & chymici circa regimen ignis in aſſuefactione inanimatorum jubent. Milo Crotoniata memoratur tali artificio ſibi robur comparaſſe: vitulum quolibet die ſemel ad certum uſque locum portabat; ita, creſcente vituli pondere, creſcebat inſenſibiliter quoque robur Milonis, donec ad extremum grandem

Tau-

Taurum in Olympicis Ludis, ſpectante tota Graecia, geſtavit. Eadem ratione poſſit & ars bibendi diſci, ſi menſura ſingulis ſeptimanis per vitra augeatur. Ita conjecit Gallus ille, qui quum in Acidulis Sualbacenſibus cerneret Germanos aquae bibendae magis magiſque continua auctione aſſueſcere, credidit hunc eſſe ludum potatorium, *eine ſauf-ſchule*, ubi Germani in aqua diſcant, quod in vino ſint praeſtituri. Infantes quoque a literis per ſyllabas ad voces tandem legendas veniunt; & in arithmeticis quanto magis numeri ſiniſtrorſum recedunt, tanto magis in decupla ratione creſcunt. De gradibus repetitionis vide, quae (§. 13.) diximus. Idem in oratione aliqua verbotenus ediſcenda commodiſſimum, ſi primo recitetur primum comma, deinde primum & ſecundum, denique primum ſecundum & tertium &c. quod & in nonnullis mulierculis rudicris uſitatum eſt: qua ratione mirum, quam facile totum memoriae imprimatur. Ignoſcat mihi ſeverus lector, quod harum nugarum exemplo utar, quando conſtat, nos in nugis, quam ſeriis docendis, ingenioſiores eſſe.

§. 16. Et haec de *Aſſuefactione*, ſeu cauſa habitus etiam ſenſu carentibus communi: veniendum eſt ad *Doctrinam*. *Docere* enim eſt habitum efficere in ſentiente, qua tale eſt, ſeu per ſenſum. Unde tota haec ars dicitur *didactica*; nam & qui ſponte diſcunt, ſe decent, hinc iis αὐτοδιδάκτων nomen (*a*):

§. 17.

(*a*) *a ſeipſis doctorum*.

§. 17. Quemadmodum autem Medicina se habet ad animalis corpus, ita *doctrina* ad animam: quumque medici sit curare 1) tuto, 2) cito, 3) jucunde; consequens est, idem & in cura animae requiri, nempe ut doceatur 1) *solide*, 2) *cito*, 3) *jucunde*. Ex quibus primum facit ad esse, reliqua ad bene esse; primum ad ipsum habitum, reliqua ad modum commode introducendi. Primum autem duo continet, tum ut *vera* doceantur, tum etiam ut *firmiter* implantentur, ne cito elabantur; nam & medicis recidiva cavenda est.

§. 18. Et illud quidem, ut *bona* doceantur, pertinet ad *objectum habitus*, de quo infra dicemus; ut vero *firmiter* implantentur, efficit *actionum multitudo*; ut *cito*, efficit *magnitudo*: quae sunt causae habitus inanimatis communes, de quibus (§. 10. *seqq.*) satis dictum est.

§. 19. Ultimus vero scopus, ut *jucunde* doceatur, proprie hujus loci est, qui in animalia tantum cadit: in animalibus enim singularis quaedam ratio est ipsa ita assuefaciendi, ut sponte sese ad doctrinam recipiendam capaciora reddant quod fit voluptatem iis praestando, quum discunt, dolorem, quum aures obturant. Idque in brutis fit esca & blanditiis, in homine utilitate tamquam esca, & honore tamquam blandimento, de quo jam praeoccupavimus dicere (§. 6. 7.).

§. 20. *Jucunde* autem discunt, tum si *finis* jucundus ipsis proponatur, tum si *media* discendi

Digitized by Google

di sint jucunda. De *fine* (§. 19.) dictum est. *Media* discendi jucunda sunt, si ludendo docentur: quo mirifice faciunt comoediae & fabulae. Hoc fine confectae sunt cartulae lusoriae, geographicae, astronomicae, historicae, chiromanteticae, &c., & Tesserae alphabetum continentes, quarum meminit *Hieronymus* ad *Paullinam*: item sales, epigrammata, picturae, carmina, memorialia. Quo pertinet *ethica picta* egregia, Principi Juventis Altenburgico, quem fata terris tantum ostenderunt, destinata, Emblemata *Alciati*, *Saavedraeque* Politica, & *Hutteni* Theologica in Schola Cordis, & ludus ille artificiosissimus, cujus meminit *Fr. Christ. Rosencreuz* in Nuptiis, ubi ad modum ludi latrunculorum virtutes in albo, vitiaque in nigro habitu mira in se invicem arte pugnabant.

§. 21. Diximus primum de caussa habitus, inanimis bruti, & hominibus communi, nempe *assuefactione* (a §. 10. ad §. 15. utrimque inclusive), deinde de caussa habitus brutis & hominibus tantum communi, *doctrina* (a §. 16. huc usque); restat, ut dicamus de caussa habitus hominibus propria *Institutione*.

§. 22. Habitus hominibus proprii sunt vel *memoriae*, vel *inventionis*, vel *judicii*; unde & *didactica* istorum habituum triplex, *mnemonica*, *topica*, *analytica*: possumus enim propositiones (quippe quae soli homini propriae sunt) memorare, facere, judicare. *Topica* autem & *analytica* una *logicae* voce comprehenduntur. Ex quo

pa-

patet *logicam*, & *mnemonicam didacticae* partes esse; quibus denique *methodologia* non immerito addetur. *Mnemonica* praestat materiam, *Methodologia* formam, *Logica* applicationem materiae ad formam.

§. 23. *Mnemonicae* fundamentum est res aliqua sensibilis, quae dicitur *nota*, cum re memoranda certa relatione juncta: quae est vel comparatio, similitudo nempe & dissimilitudo; vel connexio qualis est totius & partis, partis & compartis causae & effectus, signi & signati, unde *verba* inventa sunt; alioquin fuisset hominibus difficillimum, rerum meminisse: verba enim non tantum signa sunt cogitationis meae praesentis ad alios, sed & notae cogitationis meae praeteritae ad me ipsum, ut demonstravit *Th. Hobbes* principio elementorum de Corpore. Ex *notis* autem illae maximae mnemonicae sunt, quae sensibilissimae, ut sic dicam (adde §. 14.); uti verba, quae non audiuntur tantum, sed & cum voluptate, v. g. carmina, termini, ut vulgo vocant, *clappantes*, quales conjunguntur, non sine magna discentium puerorum commoditate in nonnullis vocabulariis; item allusionem, quo artificio *Schickardus* in Horologio hebraico ad imprimendas discentibus radices, usus est & mirum est, quantum tota harmonia lingarum & vocum congruitas hanc rem juvet. Non tantum autem notae auditus, sed & multo magis notae visus ad memoriam pertinent. Huc pertinent hieroglyphica veterum Aegyptiorum, & ho-

Digitized by Google

hodiernorum Sinenſium, de quibus multa *Kircheri* Oedipus; item diſpoſitiones rerum per cellulas in obvia conclavis parte, & reliquae in certa loca diſtributiones, de quibus auctores mnemonici conſulantur, in primis *Joh. Henr. Alſtedius* in Theſauro Mnemonico, & *Janus Caecilius Frey* in Via ad Scientias & artes; addanturque VVinckelmannianae Hiſtoriarum Adumbrationes per picturas, non utique ſpernendae.

§. 24. *Topicae* ſeu *Artis Inventivae* fundamentum ſunt loci, id eſt, relationes tranſcendentes, ut totum, cauſſa, materia, ſimile, &c. Et ex rebus tali aliqua relatione nexis fiunt propoſitiones per artem combinatoriam, ut fuſe diximus in noſtra de Arte Combinatoria diſſertatione: nec contemnenda ſunt, quae in hanc rem contulere *Raym. Lullius* in Operibus Variis, & *Joh. Henr. Biſterfeldius* in Epitome Artis meditandi.

§. 25. *Analytica* ſeu *Artis Judicandi* mihi quidem videtur duabus fere regulis tota abſolvi: 1) *ut nulla vox admittatur niſi explicata*: 2) *ut nulla propoſitio, niſi probata.* Quas arbitror longe abſolutiores eſſe, quam quatuor illas Carteſianas in Prima Philoſophia, quarum primaria eſt: *quidquid clare diſtincteque percipio, illud eſt verum*: quae infinitis modis fallit.

§. 26. *Methodologia* ſeu *ars diſponendi* verſatur circa *methodum. Methodus* autem eſt vel *naturalis*, cujus haec eſt regula: *quidquid ſine altero cognoſci poteſt, non vero alterum ſine ipſo,*

illud

Digitized by Google

illud alteri praeponi debet: vel *occasionalis*, cujus nulla generalis regula tradi potest, sed variat infinitis modis. Quae de re plura dixerunt *Jacobus Aconcius* in libello de Methodo, & epistola Stratagematis Satanae addita, & *Job. Neldelius*, & *Abrahamus Calovius*.

§. 27. Ex hactenus de *causis* habitus tam generalissimis, *actionum multitudine & magnitudine* & generali *jucunditate*; quam specialibus, *arte mnemonica, topica, analytica, methodologica*. Sequitur habitus *objectum*, seu ipsa actio, cujus est habitus.

§. 28. Cujus ratione habitus est vel *corporis*, vel *animi*. Habitus corporis vel sunt circa *actionem relinquentem*, ἀποτέλεσμα (a), vel sunt *facti transeuntis*. Artes *opus relinquentes* vel naturam promovent, applicando agens & patiens, & deinde cessando; uti agricultura, horticultura, ars pastoritia, antiquissima artium, ars item medica, chymica, veterinaria: vel suum solae peragunt, totumque opus exsequuntur, ut omnes illae, quae res tamdiu *jungunt*, *separant*, vel *transformant*, donec prodeat certa ipsis optata figura. In *conjunctione* consistit v. g. ars pictoria, in *separatione* statuaria, in *transformatione* omnes quae rebus primum liquidis, deinde consistentibus certam formam imprimunt, ut metalli vel vitri fusoria, pistoria, typochysia: ut nunc non persequar infinitas pro objectorum varietate ex his artibus mixtas, quas fusius explicuit *cl. Erhar-*

(a) *Effectionem*.

Digitized by Google

Erhardus VVeigelius in Analyſi Euclidea. Interea certum eſt, omnes in applicatione agentis naturalis, vel *conjunctione*, vel *ſeparatione*, vel *transformatione* rerum, vel his inter ſe mixtis, conſiſtere.

§. 29. Artes *facti tranſeuntis*, ſeu opus non relinquentes, dicuntur vulgo *exercitia*; & conſiſtunt vel in *promotione alterius*, vel ſimpliciter in *motione mei*. In *promotione* conſiſtit ars navigandi, currum agitandi, equitandi, chartas pictas artificioſe miſcendi, teſſeras ita jactandi, ut, quod velis, cadat, ars jaculandi, parvae pilae vel majoris, ludus conorum, ludus tabulae betulinae, &c. *Motio* ſimpliciter eſt vel *totius corporis*, vel *partis tantum*. *Totius corporis*, ut in arte ſaltatoria, ſaliendi, currendi, funambularia; & ſi haec quoque addi poſſe videtur, ars volandi, cui proportione reſpondet ars natandi. *Partis certae motio* pro partium variatione varia eſt, ut in oculis ars flendi quum velis; in lingua ars diſtincte eleganterque loquendi vel canendi, ars item diſcernendi ſapores vinorum aliarumque rerum; in gutture ars bibendi; & in ſtomacho (etſi alioqui viſcerum internorum non datur ars) nonnullorum promptitudo hauſta, quum velint, reeffundendi: ita in labiis, ut alter ex eorum formatione, velut ſermone, me intelligat, de quo *Helmontius Junior* in edita nuper diſſertatione de Alphabeto Naturae. Taceo de nonnullorum artibus digitos, articuloſque, aut alia membra

Digitized by Google

singulari, aliis inconsueta, ratione flectendi; item de arte praestigiatoria, *von der gauckeltasche*, quo pertinet & crumenisecarum celeritas. Ex eodem fonte est ars musica organica, quae vel immediate digitis aut pedibus, vel plectro aliquo mediante fit. Denique omnium inter se & cum re praesenti membrorum harmonia comparatur arte gestuum, de qua praeclare scripsit *Scipio Claromontius*: quo pertinet ars histrionica, quae etsi olim contempta, hodie tamen etiam apud magnos viros non immerito in pretio habetur.

§. 30. Et hi sunt *habitus corporis*, etsi inter eos magnum discrimen observari debeat. Quamquam enim mediante corpore, omnes exercentur; nonnulli tamen habitus in ipso corpore, ut ita dicam, ita siti sunt, ut etsi animus omnes regulas pernoverit, artem tamen exercere non possit, nisi accedente corporis assuefactione: v. g. in ludo pilae, in saltando, in arte musica tam vocali quam organica, &c. Et hi *proprie* sunt *habitus corporis*. *Habitus* vero alii *proprie* sunt *in animo*, & corpus tantum dicti animo paret, nec ipsum quidquam artis contribuit; ut in artibus plerisque ἀνυπολείπτα (a) relinquentibus, & in ludo latrunculorum vel aggerario, aliisque in ingenio sitis, & in potestate artificis existentibus.

§. 31. *Habitus animi* nunc sequuntur. Omnis autem actio animi est cogitatio; nam & velle nihil

(a) *effectum*.

Digitized by Google

nihil aliud eſt, quam cogitare rei bonitatem. Omnis porro cogitatio eſt alicujus propoſitionis: meri enim termini ſimplices, h. e. *facultates inferiores*, tantum apud bruta reperiuntur; hominis imaginatio numquam eſt ſine aliqua reflexione.

§. 32. Propoſitio omnis eſt vel ſingularis, hinc *hiſtoria*; v. g. magnes in Mecha Arabiae ſurſum trahit localum ferreum Mahumedis (fingamus enim exempli gratia hoc ita eſſe): vel univerſalis contingens ex inductione ſingularium pendens, hinc *obſervatio*; v. g. magnes trahit ferrum: vel univerſalis neceſſaria ex ipſis terminis demonſtrabilis, hinc *ſcientia*; v. g. quidquid movetur, ab alio movetur; vel, ſi magnes trahit ferrum, neceſſe eſt corporea effluvia ex magnete in ferrum ire.

§. 33. *Hiſtoria* igitur eſt mater obſervationum, de cujus natura, conſtitutione, partitione egregie *Fr. Baconius de Verulamio* in tractatu incomparabili de Augmentis Scientiarum, nec minus praeclare in Novo ſuo Scientiarum Organo. Quia vero in eadem materia dantur *hiſtoriae*, *obſervationes*, & *theoremata*, ex quibus ſcientia conflatur; v. g. *hiſtoria*, Fabii Maximi, qui ſub Caeſare Auguſto vixit, uxor fuit garrula, *obſervatio* ſeu *chria*, mulieres ſunt garrulae; *theorema* ſeu *gnome*, garrulo nihil arcani committendum: ideo jam propoſitiones in univerſum, non ratione copulae & ſigni (ut §. 31.), ſed ratione terminorum partiemur.

§. 34. *Termini* porro aut ſunt *ſimplices*, aut *compoſiti*. *Simplices* ſunt, qui ſunt indeclarabiles per terminos notiores; quia immediate ſenſui obiiciuntur, ipſae nempe *qualitates ſenſibiles*. Quidquid autem habet qualitates ſenſibiles, ſeu quidquid eſt ſenſibile, h. e. *quidquid aut mente tantum, aut mediantibus organis corporeis percipitur* (ut infra §. 34.), illud dicitur *ens*. Et haec eſt perfectiſſima *entis* definitio: quoties enim probare volumus aliquid eſſe, probamus ex eo, quia nos, vel alii ſenſerint, aut ipſummet ſenſione immediata, aut ſaltem aliud, quod ſine ipſo eſſe non poteſt, quae eſt ſenſio mediata. Et qualitates ſimul ſumtae, ſeu imaginabilitas, conſtituunt *eſſentiam*, ſenſibilitas *exiſtentiam*: ex cogitatione autem plurium entium ſimul oriuntur *relationes*, ſeu *affectiones entis*; nam ex coimaginabilitate, ſeu coeſſentia oritur *comparatio*, huc idem, diverſum, ſimile, diſſimile, contrarium, genus, ſpecies, univerſale, ſingulare; ex conſenſibilitate, ſeu coexiſtentia oritur *connexio*, huc totum, pars, ordo, unum, plura, neceſſarium, contingens, connexum, cauſſa, &c. Hinc fluit metaphyſica univerſa.

§. 35. *Qualitates* porro *ſenſibiles* in ſpecie, aliae *mente* tantum percipiuntur; aliae & *phantaſia*, ſeu mediantibus organis corporeis. *Mente* percipiuntur duae tantum qualitates ſenſibiles, α) *cogitatio*, β) *cauſſalitas*. *Cogitatio* eſt qualitas ſenſibilis intellectus humani, ſeu neſcio cujus rei in nobis, quam animadvertimus, cogitare: etſi,

etsi, quid sit hoc ipsum cogitare, explicare non magis possimus, quam quid sit albedo, aut quid sit extensio (*a*). hanc cogitationem etiam Deo & Angelis inesse, demonstratione colligitur. Circa hanc igitur qualitatem sensibilem, quae dicitur cogitatio, versatur logica post metaphysicam nobilissima scientiarum ab *Aristotele* ad mathematicorum formam demonstrative tradita.

§. 36. Altera *qualitas solo mente sensibilis* est *causalitas*, quando ex effectu per demonstrationem colligitur; esse aliquam ejus causam, etsi latentem. Et haec qualitas, praecisis aliis qualitatibus, v. g. motu, figura, &c. inest causae Mundi, seu Deo; tum causis mirabilium quorundam factorum in Mundo, seu Angelis; & denique animo nostro, tamquam causae motus corporis etsi modum causandi explicare non possumus (*b*). Et haec est doctrina *pneumatica*, quae agit de entium incorporeorum actionibus ad extra, quemadmodum logica agit de eorum actione ad intra seu cogitatione: quo pertinet & Philosophia practica, seu doctrina de jucundo & utili & justo, seu eo quod communiter utile est. Hujus loci est demonstratio existentiae Dei, & attributorum ejus, Angelorum item, & mentis incorporeae in nobis, seu immortalitatis animae. In quibus rebus propriis meditationibus mirabili ratione ad mathematicam certitudinem pervenimus. Quod nos longe majoris aestimamus

(*a*) *Emenda ut in praefatione VVolfii.*

(*b*) *Emenda ut in praefatione VVolfii.*

Digitized by Google

ad tranquillitatem mentis, & fiduciam aeternitatis, quam si vel perennem motum, vel quadraturam circuli inveniſſemus.

§. 37. *Qualitates organis corporeis ſenſibiles* ſunt vel *communes pluribus organis*, nempe numerus, qui omnibus ſenſibus externis percipitur, huc arithmetica; & extenſio ejuſque varii modi, quae viſu ſolum & tactu percipitur, hinc geometria: porro quidquid, praeter extenſionem & numerum, aliam adhuc qualitatem ſenſibilem habet, id dicitur *corpus*; quidquid non habet, dicitur *vacuum*: hinc jam oritur phyſica; ſenſus autem ſimpliciſſimus eſt tactus, quo percipitur *motus*: quae explicare, eſt generalis phyſicae; quia, ut deinde demonſtrandum eſt, in ceteris qualitatibus nihil aliud eſt, quam ſubtilis motus; per quem, aſſumpta extenſione, ceterae omnes explicari poſſunt. Vel ſunt *qualitates tactus ſpeciales*, ſoliditas, fluiditas, tenacitas, glabricies, &c. quarum, ut & lucis, colorumque, tum ſonorum, odorum, ſaporum hiſtoria diligentiſſime colligenda eſt, ut tanto facilius cauſſa per materiam & motum reddi poſſit.

§. 38. *Philoſophiam abſtractam* de *qualitatibus* ſequitur *concreta* de *rebus*; in quas hae qualitates cojerunt: in qua nihil aliud fit, quam quod hiſtoricae rerum qualitates recenſentur, & nihil denuo demonſtratur, ſed ſubſumtio tantum fit ex praedemonſtratis in Philoſophia abſtracta. Hic agitur de Deo, Angelis, mente noſtra, igne, vaporibus, meteoris, aqua, & ſpeciebus liquo-

rum

rum variis, terra, & ſpeciebus variis terrae ſeu mineralibus, plantis, denique animalibus. Hic igitur non qualitatum connexio inter ſe, & cum ſubjectis, ſed ſubjectorum connexio cum qualitatibus recenſetur. Poteſt haec philoſophiae pars dici εἰδογραφία (a), quemadmodum praecedens ποιογραφία (b).

§. 39. Concludat denique *coſmographia*, in qua exponitur ſubjectorum connexio inter ſe, quomodo re vera in mundo diſpoſita ſunt: hiſtoria motuum caeleſtium ſphaerica & theorica aſtrognoſia, obſervationeſque recentiorum, breviter hiſtoria mundi univerſi, rerumque inde uſque a creatione ejus memorabilium, quo pertinet chronologia, hiſtoria univerſalis, & certarum regionum, nationum, ſtatuum, generum vitae &c. Hac mea diſciplinarum partitione certus ſum omnia exhauſiſſe, ipſaque ſcientiarum elementa breviter, ſed ſolide adumbraſſe.

§. 40. Poſtquam (a §. 27. huc uſque) de *diſcibilibus* diximus, excerpamus jam ex iis *diſcenda, modumque ſtudiorum* ſummatim delineemus. Primum quod infanti diſcendum, eſt *lingua*. Hic detur opera, ut eadem celerirate per uſum latinam, qua patriam imbibat; etſi opus non ſit in nominibus ſimplicium, v. g. ſtirpium, animalium, &c. latinis nimis diſtineri; raro enim occurrunt. Hoc fiet, ſi certa diei parte, v. g. mane ſit inter paedagogum & condiſcipulos latine, a meridie inter ancillas & conjugem ver-

(a) *ſpecierum deſcriptio.* (b) *qualitatum deſcriptio.*

Digitized by Google

nacule loquentes. Hac arte Albericus Gentilis filium ſuum infantem tres linguas ſimul docuit: ipſe cum eo loquebatur latine, conjux gallice, domeſtici anglice, quae ipſi vernacula erat lingua. Alterum hoc tempore ſtudium ſit *geſtuum*. Veniat igitur quotidie inter homines moratos cultoſque; ita facile ſpectando proficiet. Tertium ſit *hiſtoriae*, tum univerſalis, tum in ſpecie ſacrae, & ſtatus mundi praeſentis.

§. 41. Quum vero ſextum annum attigerit, mittatur in ludum publicum; quae res converſationem, & tandem amicitias per vitam duraturas praebet: vivat parum apud parentes, ut diſcat ad propriam prudentiam refugere: aſſueſcat exercitiis, arti muſicae, ſaltatrici, gladiatoriae, jaculatoriae, pictoriae, aliiſque in vita neceſſariis vel decoris, in primis vero elegantiae verborum: accedat vero & hiſtoriarum veterum ſpecialior cognitio, & diligentiſſima matheſeos cura, arithmeticae ſcilicet, & geometriae, & opticae, & ſtaticae; & aſtronomiae: addantur ex phyſica nomina tantum herbarum, mineralium, arborum, animalium, inſtrumentorum mechaniçorum; quo pertinet *Comenii* Orbis Senſualium Pictus, ſed diligentius pingendus, & coloribus convenientibus illuſtrandus: addatur exercitum ſtili, non litteris tantum, ſed & ſermone & quidem extemporaneo: oſtendantur ei loci diſcurrendi, memorandi, inveniendi per artem combinatoriam.

§. 42. A duodecimo ad decimum octavum li-

be-

beralius tractetur, praeceptoribus non subsit, sed amicis: monstrentur ei naturae artisque arcana majora, fundamenta artium mechanicarum; ut ex iis saltem materiam, instrumenta, regulas principales, & pretia sciat; item rationem commerciorum per orbem; ut dignoscat inter merces, sciat pretia, loca unde veniunt: jam discat medicinae rudimenta, anatomiam, vires simplicium, rationes praeparandi pharmacopoeorum, & chymicorum; optandum enim quemlibet hominum esse aliquatenus medicum, immo jurisconsultum & theologum, scilicet ut elementa, & theologiam saltem jurisprudentiamque positivam, pernoscat: igitur sciat statuta suae Reipublicae & leges regni, sed & aliquo modo aliorum, ut possit tanto melius peregrinari: discat linguas gallicam & italicam, utque Scripturam ipsam audire possit hebraicae graecaeque tantum, ut intelligere ipsi vetus novumque Testamentum liceat: declamet publice & in comoedias prodeat; nam, ut recte H. *Grotius*, rhetorica, aliarum artium coronis, nonnisi haustis pleriſque disciplinis accedit: sit autem exercitium hoc non in latina solum, sed & vernacula; sed primario exerceatur in ea professione, in qua suas aliquando dotes explicaturus est: habeat quoque & librorum cognitionem, quae mirum quantum & ornamenti & utilitatis praestet: vivat hoc tempore non in schola, sed academia vel aula, & alioqui loco celebri, in quo in magnorum virorum notitiam familiaritatem-

catemque venire liceat, quod est fundamentum hodie promotionis; neque enim amplius facile quisquam ex academiis ad officia vocatur. Olim mos erat scribere ad Universitatem, & egregii alicujus juvenis denominationem ab ea petere; hodie aliis artibus emergendum: Unde non decet, academias esse in locis minutis & obscuris.

§. 43. Tempus omne vero a decimo octavo anno, vel, si tardius ingenium sit, vicesimo usque ad promotionem, peregrinationi tribuatur, in qua curet valetudinem. Quo pertinet Medici Augustani, cujus nomen non succurrit, elegans tractatus de Medicina Peregrinantium: observet notetque commoditates in cibo, potu, aedificiis, vestibus, agricultura, mechanicis, quas apud aliquem populum invenit: observet, & leges, & consuetudines singulares: ambiat notitiam magnorum virorum, quae peregrinis magis quam domesticis patet, in primis secretariorum & ministrorum status: si quas etiam memorabiles historias, si qua singularia naturae & artis audit, diligenter notet. Ita obtinebitur finis peregrinationum, ut a regione ad regionem non solum mercimonia, sed & artes deportentur: in primis vero, si regio aliqua in certis manufacturis excellit, det operam, ut artes eorum expiscentur. Plura non est hujus loci dicere: summi viri praeocuparunt. Haec sunt, quae de *ratione studiorum* in universum ex veteribus nostris dudumque conceptis meditationibus, inter diversoria, sine libris, in char-

Digitized by Google

chartam coniicere deproperavimus; unde nec licuit multarum allegationum pompa margines ſtipare. Si non pervulgata nec inutilia attulimus, & exſcriptorum & novatorum crimen effugiemus.

PARS

Digitized by Google

PARS II.

SPECIALIS, AD SOLAM JURISPRUDENTIAM RESTRICTA.

§. 1. *Juriſprudentia* eſt ſcientia juris, propoſito aliquo caſu ſeu facto: cujus tradendae methodum quum moliamur, neceſſe eſt ut duo agamus: 1) in idea delineemus *juriſconſultum perfectum*, & quidquid ad ejus conſummationem pertinet; quemadmodum *Cicero* fecit in libris de Oratore: 2) *vias* deſignemus *ad perfectionem graſſandi*, aut ſicubi placeret, in ſecundis tertiiſque conſiſtendi; quemadmodum *Plato* in libris de Republica ideam, in Dialogis vero de Legibus quod aſſequi cuique liceret, expoſuit.

§. 2. Quidquid ad *juriſconſulti perfecti* eruditionem pertinet dividi poteſt ad inſtar theologiae in partem *didacticam* ſeu *poſitivam*, ea continentem, quae in libris authenticis expreſſe extant, & certi juris ſunt, *hiſtoricam*, originem, auctores, mutationes, abrogationeſque legum enarrantem; *exegeticam*, ipſos libros authenticos interpretantem & denique apicem ceterarum; *polemicam* ſeu *controverſiariam*, caſus in legibus indeciſos ex ratione & ſimilitudine definientem.

§. 3.

Digitized by Google

§. 3. Ex his *didactica & polemica* proprie ſunt partes Juriſprudentiae, *hiſtorica* vero & *exegetica* ſunt requiſita tantum; haec *theorica*, illa *practica*: Juriſconſultus enim, qua talis, ſatis habet, ſi ſciat quid in propoſito caſu ſit juris, quod poteſt etiam mere pragmaticus aſſequi, immo qui ne latina quidem novit, ſed difficulter immo inutiliter: nam ſi quis negare audeat, non poterit ex hiſtoria legibuſque demonſtrare; ideo *empirici* magis nomen merebitur, quam ejus qui veram in jure Philoſophiam ſit aſſecutus.

§. 4. Merito autem partitionis noſtrae exemplum a Theologia ad Juriſprudentiam tranſtulimus, quia mira eſt utriuſque facultatis ſimilitudo: utraque enim duplex principium habet, partim rationem, hinc theologia juriſprudentiaque naturalis, quarum illam *Raymundus de Sabunde & Theophilus Raynaudus*, hanc vero *Grotius*, *Hobbes*, ceterique excoluere, quorum infra (§. 70.) mentio fiet; partim ſcripturam ſeu librum quemdam authenticum leges poſitivas, illic divinas, hic humanas, continentem. Male vero nonnulli huic comparationi medicinam quoque, philoſophiam, ac matheſin miſcuere: nam Hippocrates, Galenus, & Ariſtoteles erroris ſaepe convicti ſunt; Euclidi non creditur quia dicit, ſed quia probat, quod ſecus eſt in legibus divinis, humaniſque (*a*)

§. 5. Nec mirum eſt, quod in Juriſprudentia idem

(*a*) *Emenda ut in praefatione VVolfii.*

Digitized by Google

idem & in Theologia uſu venire; quia Theologia ſpecies quaedam eſt juriſprudentiae univerſim ſumtae: agit enim de jure & legibus obtinentibus in Republica, aut potius regno Dei ſuper homines, moralis de jure privato, reliqua de jure publico: nam, ut noſtrammet de Arte Combinatoria commentationem (*p.* 29.) aliquantiſper exſcribamus, infideles quaſi rebelles ſunt, Eccleſia velut ſubditi fideles, perſonae eccleſiaſticae immo & Magiſtratus politicus, velut miniſtri & Magiſtratus ſubordinati, excommunicatio velut bannus, doctrina de Scriptura ſacra & verbo Dei, velut de legibus & earum interpretatione, de canone librorum ſacrorum, velut de legum authentica, de erroribus fundamentalibus, quaſi de delictis capitalibus. Quoties teſtamenti, quoties hereditatis, quoties ſervitutis, quoties adoptionis apud D. Paullum mentio eſt? In explicatione teſtamenti magna pars controverſiae de cena inter auguſtanae confeſſionis, ac reformatos theologos conſumitur. *Fauſtus* profecto *Socinus*, quia a juriſprudentia ad Theologiam venit, mirum quantum ceteris omnibus faceſſiverit negotii. *Socini* vero diſcipuli quae latibula ſub juridica acceptilationis voce quaerant, recenſuit cl. *Zimmermannus* peculiari diſſertatione. Utrum & quatenus in rebus fidei obtineat praeſcriptio, nuper nobile par *Fratrum VValenburgiorum* diſſeruit: aliorſum iverat cl. *Hulſemannus*, Auguſtanae confeſſionis theologus, peculiari itidem tractatu de praeſcri-

Digitized by Google

ſcriptione. Breviter, tanta in Theologia juridicarum controverſiarum ſeges eſt, ut inter *evolvendum* (a) egregii *Dorſchei* poſtumum opus juriſprudentiae theologicae titulo reſtet.

§. 6. *Juriſprudentia didactica*, *elementorum* nomine non inepte appellabitur ad imitationem Elementorium *Euclidis*, quem in titulis ſuorum librorum *Th. Hobbes* Elementis de Cive & Corpore, ac *Joh. a Felde*, & *Sam. Pufendorf* Elementis Juriſprudentiae ſecuti ſunt. *Elementa* duobus abſolvuntur, explicatione terminorum ſeu *definitionibus*, quibus reſpondet titulus de Verborum Significatione; & propoſitionibus ſeu *praeceptis*, quo pertinet titulus de Regulis Juris.

§. 7. *Definitiones* ſeu explicationes terminorum juridicorum peculiari libello tradendae ſunt, nullis admixtis praeceptis ſeu regulis: hic poſſit appellari Partitiones Juris. *Methodus* ejus non ſit alphabetica, ſed accurata & ſolida; mirum enim, quam in methodo ſolida, & naturali res rem explicet, & memoria juvetur: quam in rem commodiſſimae ſunt tabellae, quarum opē licet uno obtutu primum in generali tabula totam ſcientiae velut geograficam mappam, deinde vero ſpeciatim ſingulas quaſi provincias luſtrare. Hae veteribus incognitae a *Petro Rama* ejuſque diſcipulis primum celebratae ſunt: magnam quoque in illis diligentiam poſuit *Theodorus Zwingerus* in ethicis politicisque, & in jure *Joh. Th. Freigius*: hos innumerabilium aliorum

ca-

(a) *non edita*.

Digitized by Google

caterva secuta est, sed vix assecuta, quod optamus, methodum, inquam, naturalem: nam, ut recte *Petro Ramo* ramistisque objecit incomparabilis *Verulamius*, effecere illi anxietate dichotomiarum, ut rem coangustarent magis, quam comprehenderent; quae interea velut anguilla elabebatur, aut pro grano proprietatum inutiles divisionum paleas relinquebat.

§. 8. Quum vero docendae jurisprudentiae *methodus* comprehendat & *methodum disponendae*; videamus quas varii vias iniverint: juris enim in artem redigendi vetus admodum cura est, quam & *Cicero*, olim *Gellio* teste, agitavit; deinde in eamdem curam incubuere jurisconsulti veteres; neque enim tantum confusos quaestionum & responsionum libros, sed & Digesta vel ipso nominis indicio ordinata, & Institutiones confecere. Sed quia eorum scripta & mutilata & discerpta sunt, licet tantum ex inscriptionibus Legum Justinianearum nonnulla divinare. *Tribonianus* aliam in Institutis, aliam in Digestis & Codice methodum tenuit: illic enim tria juris objecta constituit, *personas*, *res*, *& actiones*, ut *personarum* capite explicuit potestatem patriam, dominicam, nuptias, tutelam, curam, omnem nempe potestatem in ipsas immediate personas sine rerum interventu. Alterum caput est quoties *res* interveniunt: & vel principaliter, ut non certa persona proprie teneatur, sed certa res, ubicumque inveniri possit, quod est *jus in re*; aut inter vivos, hinc

Digitized by Google

dominium, ſervitus, uſusfructus, uſus, habitatio, aut ex ſucceſſione, hic hereditas ab inteſtato vel ex teſtamento, legatum, fideicommiſſum, &c.: vel *res* interveniunt minus principaliter, ita ut teneatur certa perſona, non vero certa res: tum dicitur *jus ad rem*. *Jus ad rem* eſt vel ex contractu, vel quaſi; vel ex delicto, vel quaſi. Ad tertium caput *actionum* pertinet & exceptiones, replicationes, totuſque proceſſus, & denique Judicis officium. In Digeſti vero ac Codice meras ſolaſque *actiones* ordine Edicti Perpetui *Tribonianus* recenſuit, quum duobus prope titulis tantum de *perſonis rebusque* quiddam praelibaſſet.

§. 9. Juriſconſulti medii aevi numquam ipſi de arte juris vel per ſomnium cogitarunt, ſatis habentes ſi Leges gloſſis, Judices conſiliis obruerent. Quemadmodum igitur theologi illorum temporum ad Sententias & Thomam, philoſophi ad Summulas & Ariſtotelem; ita ipſi ad Juris Corpus ſua allinebant. Quin immo videntur pro certo habuiſſe, methodo legum ſemper eſſe utendum, quaſi eae & in logicam exercerent imperium; idque & cultiſſimo hoc aevo nonnullis inſignibus viris placuit *AEgidius Mommerius* in diſſertatione de Studio Juris negat alios haberi debere locos communes, quam leges, aliam methodum, quam legum, ſolas illas in numerato habendas, cetera negligenda: *Meierus* quoque, collegii argentoratenſis director, in praefatione oblique illis iraſcitur, qui ſuam methodum

au-

Digitized by Google

audent imperatoriae praeferre: & *Antonius Matthaei* in Collegio Fundamentorum Juris ex professo disputat novam juris methodum inutiliter, immo damnose hoc rerum statu concipi; fateri sese Justinianeam optimam non esse, sed quid si, inquit, nec tua sit? fateri, optandum, ut aliud publica auctoritate juris corpus exstet; nunc vero quamdiu ad hoc recurrendum sit, novae methodi commento laborem in duplum creseere, quia praeter Justinianeam nova quoque methodus memoriae imprimi debeat.

§. 10. Sed nos contra methodi Justinianeae vitia novae utilitatem explicabimus. Primum in ipsa methodo Justinianea labor crescit in duplum, dum alia est Institutionum, alia Digestorum, Codicisque methodus. Institutionum methodus per *personas*, *res*: & *actiones* primum superflua est: actiones enim tam ex jure personarum, quam rerum descendunt; & ipsae personae, v. g. servi & filii familias, habentur pro rebus, datur enim non minus servi quam equi vindicatio; & in filios familias etiam est dominium, sed certis a Republica modis restrictum: & ut breviter dicam, est haec methodus non ex juris, sed facti visceribus sumpta; personae enim & res sunt facti, potestas & obligatio &c. juris termini: & si semel methodum facti eligere voluit, cur non continuavit, cur non subdivisit personas, & res ex physicis & ethicis v. g. personas in surdos, mutos, caecos, hermaphroditos, perfectos, viros, feminas, im-

Digitized by Google

puberes, minores, adultos, divites, pauperes, nobiles, magiſtratus, ruſticos, peregrinos, haereticos, ſchiſmaticos, &c; res in dividuas, individuas, pretioſas, viles, mobiles, immobiles ſemoventes, theſauros, nummos, res fungibiles, quadrupedes, equos, feras, &c; cur, inquam, non ita titulos juris diſtribuit, & in ſingulis quid juris eſſet, explicuit? Agnovit ſcilicet hac ratione ſecuturas infinitas repetitiones, nec poſſe rem ad univerſalia redigi. Perinde ac ſi geodaeta non formae, ſed materiae ratione doctrinam ſuam partiretur, & ageret de dimenſione agrorum, paſcuorum, camporum arenoſorum, argiloſorum, ſaxoſorum; quis non hunc novum Euclidem rideret? Ita igitur Juriſprudentiae diviſio a concreto ſumpta omnis confuſionis principium eſt, & ad eos potius pertinet, qui vel tractatus vel indices ſcribunt: hi poſſunt ex variis titulis colligere jura feminarum, mutorum, ſurdorum, &c. Illud quoque negari non poteſt, methodum legum hodierno aevo plane non eſſe accommodatam: nullibi jura eccleſiaſtica, nullibi feudalia, nullibi materia curſus creditorum commode inferitur. In Digeſtis certe & Codice perpetua ordinis cauſſa eſt veteris juris ratio, quae tantum ad hodiernam, quantum ſus ad Minervam.

§. 11. Methodus vero nova incredibilia commoda afferet, ſi accurata erit: ita enim primum mirabile orietur compendium diſcendorum, dum generalibus regulis infinitae ſpeciales ſimul diſcen-

Digitized by Google

centur, & praemiſſis generibus gradatim deſcendetur ad ſpecies, dicenturque ea tantum, quae nuda generalium ſubſumptione non conſtant; nam ut recte animadvertit *Feldenus* in praefatione, Elementorum, quid opus eſt ſpecialiter inculcare, minorem indigere curatore, alio loco furioſum, alio abſentem, quum generalis regula ſit ex ipſis politicae principiis manifeſta, *qui negotiis ſuis ipſe praeeſſe non poſſit, eum indigere curatore*? Deinde memoria ipſa illa naturaliſſima rerum ex ſe fluentium connexione ſummopere juvabitur, ſi nempe ex terminis in generis definitione poſitis, ſeu ex ipſa generis differentia, ſumantur differentiae ſpecierum ſibi contradiſtinctae. Denique quum accurata methodus non eſſe poſſit ſine accuratis terminorum definitionibus; definitio enim generis velut clavis eſt differentiarum ſpecies conſtituentium; imbibetur eadem opera ſolida juris cognitio, & via patebit per rationes univerſales caſus in jure indeciſos determinandi: ut ita tam memoriam quam judicium appareat a methodi perfectione pendere.

§. 12. *Antonii Matthaei* emplaſtra cauſſae deſperatae non medebuntur. Fatetur Tribonianeos methodi lapſus; ergo fatebitur optandam meliorem; breviter, novum juris corpus. Quid igitur methodus averſatur, ſi nihil aliud ſaltem novi corporis σκιαγραφίαν (a)? Quod de duplicato labore argutatur, nihil eſt; nam methodum naturae

(a) *adumbrata deſcriptio.*

Digitized by Google

turalem discere, non est labor; immo dum rerum accuratae definitiones percipiuntur, eadem opera methodus perfecta aliud agendo hauritur. Erit vero illa vel ut index corporis Justinianei. decebitque ad marginem loca Legum correspondentia allegari.

§. 13. Methodum juris varii varie iniere. Omnes non persequar, non *Corasium*, aut *Matth. Stephani* dissert. de Arte Juris, non *Hug. Donelli* in Com. methodum, non *Chopium* de Vera Philosophia Juris, non *Hopperi* Seduardum, non *Martini Del Rio* Principia, non illum Sulsbaci, cura junioris Helmontii, nuper latine germaniceque recusum *Octavii Pisani* egregium Lycurgum, non quae *Feldenus*, aut *Pufendorfferus.* aut *Rich. Zucchaeus* laudabiliter tentavere, non *Grotii* ordinem, cl. Thomasii judicio si non optimum, certe nec pessimum; facilius enim carpere quam emendare: saltem de *Theod. Althusio* & *Herm. Vulteio* admonebimus, quorum ille in Dicaeologia, hic in Jurisprudentia Romana jus in artem redigere non verbis solum, sed facto tentavit. Verum uterque, quod in methodo Tribonianea desiderabam, factum juri miscuit: nam *Althusii* prima haec statim divisio est, Jurisprudentiam esse duplicem, aliam de facto, aliam de jure; quasi vero jurisprudentiae sit de facto agere, aut quasi detur jurisprudentiae species, quae de jure non agat: *Vulteius* vero inter alia in eo displicet, quod obligationem referat ad jus personarum, tanquam contradistinctum juri rerum,

Digitized by Google

rerum; quum tamen, ut infra oſtendemus, in ipſo jure rerum intercedat perſonae poſſidentis obligatio ex facto ejus, tamquam quaſi contractu, poſſeſſione nempe, orta, qua tenetur ad reſtituendum. Cetera particularius non perſequemur.

§. 14. Sed quia de aliis iudicium nobis ſumpſimus, eamdem in nos poteſtatem publicatione noſtrarum meditationum faciemus. Demus igitur operam, ut ſolidam methodum ex ipſis rerum definitionibus eruamus. *Juriſprudentia* eſt *ſcientia actionum, quatenus juſtae, vel injuſtae dicuntur: juſtum* autem *atque injuſtum* eſt, *quidquid publice utile vel damnoſum eſt: publice*, id eſt, primum mundo, ſeu rectori ejus Deo, deinde generi humano, denique Reipublicae, hac ſubordinatione, ut in caſu pugnantiae voluntas ſeu utilitas Dei, ſi ita loqui licet, praeferatur utilitati generis humani, & haec utilitati Republicae, & haec propriae: hinc Juriſprudentia *divina*, *humana*, *civilis*. De propria autem utilitate dicere, non juriſprudentiae, ſed politicae eſt.

§. 15. *Moralitas* autem, ſeu *juſtitia* vel *injuſtitia actionis* oritur ex qualitate perſonae agentis in ordine ad actionem, ex actionibus praecedentibus orta, quae dicitur *qualitas moralis*. Ut autem qualitas realis in ordine ad actionem duplex eſt, potentia agendi, & neceſſitas agendi; ita potentia moralis dicitur *jus*, neceſſitas moralis dicitur *obligatio*.

Digitized by Google

§. 16. *Subjectum qualitatis moralis* eſt *perſona* & *res*. *Perſona* eſt ſubſtantia rationalis, eaque vel *naturalis* vel *civilis*: *Naturalis* Deus Angelus, homo: ſed Deus eſt ſubjectum juris ſummi in omnia, nullius vero obligationis. *Perſona Civilis* eſt collegium, quod, quia habet unam voluntatem certo ſigno dignoſcibilem, v. g. ex pluralitate votorum, ſorte, &c. ideo obligare & obligari poteſt. *Res* quoque ſubjectum juris eſt & obligationis: v. g. ſi officio aliquid legetur, jus erit apud omnes ſucceſſores: ſi quis in officio exiſtens, qua talis eſt, alicui damnum det, ipſum officium tenebitur, tranſibitque in ſucceſſores obligatio: ita ſi equo aliquid legetur, v. g. phalerae, dubitandum non eſt, ad dominum equi, alienato equo, rem tranſire: idem de ſervo juris eſt, qui ipſe non pro perſona habendus, ſed re. In omni vero jure reali res eſt ſubjectum obligationis. Porro ad ſubjectum pertinet tota *ſucceſſionum* materia; quit ſucceſſio eſt motus juris vel obligationis de ſubjecto in ſubjectum. Tractandum & hic de iis, quae pluribus communia ſunt.

§. 17. *Objectum juris & obligationis* eſt *corpus ſubjecti*, *res*, *perſona tertii*; *jus* in corpus meum tamquam *ſubjecti*, dicitur *libertas*. *Jus in rem* dicitur *facultas*, & habet ſpecies, dominium directum in rei materiam, utile ſeu jus utendi fruendi in formam, jus ſervitutis in partes formae ſeu qualitates, jus detinendi, uſucapiendi conditionem, & alia jura realia. *Jus in perſonam*

Digitized by Google

ſonam dicitur *poteſtas*, & multis modis variat. interdum vitae & necis, interdum caſtigationis, interdum increpationis, &c. *Obligatio* eſt ne alterius *libertas*, *facultas*, *poteſtaſque* impediatur: quae impeditio dicitur *injuria*. Et *obligatio*, ne *poteſtas* alterius in me impediatur, eſt *poſitiva*, qua teneor aliquid facere vel pati; & dicitur κατ' ἐξοχὴν (a) *obligatio*: ceterae *obligationes*, ne alterius *libertatem* impediam, vel arripiam rem, ſunt magis *privativae*. *Objectum* porro *juris mei* eſt quidquid mea intereſt, idque vel ipſummet, vel aequipollens ſeu aeſtimatio; quo pertinent *pretia* rerum.

§. 18. *Cauſſa qualitatis moralis* eſt *natura* & *actio*. *Natura* eſt cauſſa *libertatis* & *facultatis*, & correſpondentis in alio obligationis de non impediendo. *Actio* eſt cauſſa poteſtatis in perſona agente ad aliquid faciendum, vel in ſeipſa aut rebus ſuis patiendum; eſtque vel *poſſeſſio*, vel *injuria*, vel *conventio*. *Poſſeſſio* tribuit *jus reale* primum in corpus meum, quia hoc ante omnia poſſideo, hinc *libertas*; deinde in res alias, quae ſunt nullius, hinc *facultas*: unde mihi jus oritur rem meam, ubi invenio, vindicandi; & alteri obligatio hoc non impediendi *Injuria* in ſtatu mere naturali dat laeſo jus *libertatis*, *facultatis*, *poteſtatiſque* omnimodae, ſeu jus belli in laedentem ſocietatis ruptorem. Sed in rebus publicis, immo & aequitate duce, ita reſtricta eſt haec licentia, ut aeſtimatione debeat eſſe

(a) *per excellentiam*.

Digitized by Google

esse contentus, reservata Reipualicae poena, si damnum consulto datum est: *Injuria* igitur fons est delictorum & quasi delictorum; *conventio* vero promissiones, acceptationesqne omnes in se continet; quo pertinet doctrina de verborum interpretatione, conditionibus, &c. quasi contractus vero ad jus reale pertinent. Multa vero, quae ex his naturae fontibus non videntur descendere, sed ex lege, illa omnia eo ipso ex eorum uno, nempe ex conventione descendunt, quia populus in legislatorem compromisit.

§. 19. Quare & omnes obligationes publicorum judiciorum, sive ad poenam corporalem sive pecuniariam tendant, pertinent ad *pactorum* fontem: promisit enim quilibet subditus Reipublicae, se decreta ejus vel universalia, ut *Leges*; vel singularia, ut *sententias*, rata habiturum. Decrevit autem Lex, ut qui hoc faciat, illud persolvat: ex ipso igitur *pacto* promissae fidelitatis tenetur. Ita patet, ad hunc locum reduci *die policey-ordnungen*, ordinationes nempe politicas, quibus vita, conversatio, sumptus vestium, conviviorum, omnes denique subditorum actiones formantur; nec minus *criminalia*, quae circa majora, pacem nempe publicam, securitatem civium, honoremque Dei & magistratus occupantur. Ex eodem *pactorum* fonte est *jus publicum*, & ipse denique processus tam civilis quam criminalis; cujus finis est executio, quae est realis actio qualitatum moralium, seu ut qui habet potestatem vel necessitatem moralem, habeat & naturalem.

§. 20.

Digitized by Google

§. 20. Ita igitur *universi juris* summa capita deduximus: nam modi adquirendi juris sunt 1) *natura*, libertatis nempe & facultatis in res nullius agendi (§. 17.): 2) *successio* (§. 15.), quae non producit novum jus, sed vetus transfert: succedunt autem ab intestato mero jure soli descendentes in stirpes, sed ita in ea tantum bona, quae parentis erant, quum nascerentur, quia per traducem a parentibus orti sunt; ceterorum successio ab intestato pertinet ad fontem pactorum, quia ex lege descendit: testamenta vero mero jure nullius essent momenti, nisi anima esset immortalis (*a*): sed quia mortui revera adhuc vivunt, ideo manent domini rerum, quos vero heredes reliquerunt, concipiendi sunt ut procuratores in rem suam. 3) Tertius adquirendi juris modus est *possessio rei nullius* animo in posterum quoque possidendi; ex quo jus in posterum quoque possidendi tractandique oritur quod est reale: 4) *conventio*, velut traditio incorporalis, per signa rei aequipollentia, seu verba; quo pertinet, quidquid ex jure civili seu lege descendit, ut criminalia & processus: potest tamen *conventio* reduci non solum ad *possessionem* sed & ad *injuriam*; quia fallere est damnum animo dare: 5) *injuria*, velut ruptio societatis humanae in statu mere naturali omne jus mutuo tollens, immo alteri in alterum resque ejus jus absolutum tribuens; quod tamen in Republica legibus est restrictum.

§. 21.

(*a*) *Elementa, ut in praefatione Wolfii.*

§. 21. Cauſſae autem juris in uno, ſunt modi amittendi juris in alio, ſeu adquirendae obligationis; modi autem amittendae obligationis, ſunt cauſſae recuperandi juris, ſeu liberationis: qualis eſt 1) *mors ſine heredibus*, 2) *ſolutio* quo reducitur compenſatio, & 3) *conventio* quo iterum reducitur lex. Ita igitur arbitror, ſumma juris capita ex meri juris evidentiſſimis principiis a me ſatis digeſta eſſe; neque enim alia juris obligationiſque cauſſa, aut contrarium ſeu deſtructivum reperiri poteſt, quod in his non contineatur: ſpecialius rem deducere, peculiari operae debetur. Haec autem, quae de methodo diſponendi juris diximus, merito hoc loco praemittenda erant; quia non ſolum iuriſprudentia *didactica*, ſed & *polemica* accurata hac methodo diſponi debet.

§. 22. Nec omittenda hoc loco, quae de jurisprudentiae *polemicae* incluſione in pomoeria *didacticae* magni viri conſuluere; ſi exſtantiores controverſiae publica auctoritate decidantur, formeturque novum juris corpus accurate diſpoſitum: quam in rem illuſtriſſimi *Baconi*, tum in Sermonibus Fidelibus, tum in Augmentis Scientiarum, praeclarae meditationes exſtitere. Mihi breviter videtur, tria in novo corpore requirenda; ut ſcilicet conſcriptum ſit *plene*, *breviter*, *ordinate*: ita aberit repetitio, obſcuritas, contradictio.

§. 23. Tempus eſt, ut ad noſtra *juris elementa* redeamus. Haec ſupra (§. 7.) diviſa ſunt in *defini-*

Digitized by Googl

finitiones & *praecepta*. *Definitiones* includi poſſunt libro, qui ob formam appellari poteſt Partitiones Juris; quo nomine & cl. vir, Dn. *Joh. Otto Thabor* ſuum aliquem laborem inſignivit. In eo declarentur termini uſitatiores, eorumque definitiones, & diviſiones explicentur methodo, quam dixi: omittantur vero curioſitates philologicae, ſynonymiae: aequivocationes vero, ſed inſignes, & quae confuſionis principium eſſe poſſint, non quaelibet obviae colligantur, ſignificatioque famoſior eligatur. Interea cl. *Rebbanii* Hodegeta Juris poterit non inutiliter legi, qui in vocabulorum explicatione in primis operam poſuit. Cauſſae vero, contraria, effectus, objecta, ſubjecta, non pertinent ad *definitiones* ſeu terminorum explicationes, ſed ad regulas ſeu *praecepta*.

§. 24. *Praeceptorum* juriſprudentiae videamus *materiam*, & *Formam*. *Materiae* ratione inſerantur ea tantum, quae in legibus expreſſe exſtant, & certi minimeque controverſi juris ſunt item ea tantum, quae adhuc in uſu verſantur, minimeque abrogata ſunt; ab hodierno enim jure tyroni incipiendum eſſe infra oſtendemus: omittantur item ea omnia, que ex ipſo jure naturae & ſanae rationis principiis ita conſtant, ut ruſticus perceptis terminis (quos propterea praemiſimus in *definitionibus*) agnoturus ſit; nam tota fere conventionum doctrina ex jure naturae fluit, ſed haereditates, proceſſus, & criminalia poſitivis ſcatent: omittantur denique, quae non

tam

Digitized by Google

tam ſunt quaeſtiones juridicae, quam vel hiſtoricae, v. g. cur Juſtinianus dicatur Alemannicus Franciſcus; vel philologicae, v. g. an teſtamentum recte derivatum ſit a teſtatione mentis; vel philoſophicae, v. g. rectene Juſtinianus definierit iter, actum, viam, an mutuum ſit alienatio: ponantur ea tantum, quae decidunt, quid, propoſitio aliquo facto, ſit juris. Omiſſis igitur his omnibus, nempe 1) *incertis*, 2) *abrogatis* 3) *manifeſtis*, 4) *alienis*, mira erit hujus elementorum libelli brevitas facilitaſque.

§. 25. *Forma praeceptorum* conſiſtit tum in diſpoſitione *titulorum*, tum *ſubtitulorum*. *Titulorum* diſpoſitio primum ea ſit, quae *definitionum*; unde non erit incommodum, ſi *praecepta definitionibus*, aliis ſaltem typis, interſerantur: deinde obſervetur in primis, ut, quantum fieri poteſt, abſtrahantur univerſalia: ſunt enim *praecepta* primum *generaliſſima*, quae dicuntur *brocardica*, & haec a variis materiis etiam toto genere diverſis abſtrahunt, v. g. *omnis modus amittendi juris eſt voluntarius*, ſeu *nemini jus ſuum invito auferri poteſt*. Haec regula tam eſt univerſalis, ut nullam penitus patiatur exceptionem. Cur igitur, inquies, vulgo excipiunt, *niſi poenae loco a ſuperiore*? Sed ideo illi hoc excipiunt, quia moralium principia non penetrarunt: nam quod a ſuperiore aufertur, volenti aufertur; quia in ſuperioris actiones ratas habendas jam olim conſenſum eſt (a). Sed datur tamen

(a) *Grot. de jur. b. & p. l. 2. c. 21. §. 12.*

tamen ſuperior, inquies, in quem conſenſum non eſt, v. g. Deus jure creationis: is igitur Aegyptiis penitus invitis jus ſuum abſtulit. Sed ſciendum, in comparatione ad Deum nullum dari jus, ideo nec juris ablationem. Mors proprie non eſt amiſſio juris, quia ipſa perſona amittitur; nec ſolutio (invito enim ſolvi poteſt) non magis, quam uſus fructus perit conſolidatione: nuditas juris perit, non jus; jus potius perficitur. Poſſem aliis infinitis exemplis oſtendere, quoties *brocardica* ejuſmodi multis exceptionum ſpinis ſine neceſſitate muniantur. Interdum vero formantur *brocardica* quaedam, plurimas exceptiones neceſſario habentia: ſed talia ego inepta judico; quoties enim regula in uno vitiatur, perdit officium ſuum: officium enim regulae, tranquillare animum, ut certus ſit in omnibus ſpeciebus ſubjecti praedicatum obtinere: quod ſi regulae habent exceptiones, fruſtraneae ſunt; quia fidi illis non poteſt. Quod igitur vulgo jactatum eſt, *nullam regulam eſſe ſine exceptione*, mihi perinde eſſe videtur ac illud, *nunc ego mentior*, vel illud ſcepticorum, *nihil ſcitur, ne hoc quidem, quod nihil ſcitur*, qualia nos collegimus in Specim. Quaeſt. Philoſ. ex Jure, quaeſt. 12.: nam haec regula ſeipſam ſimul probat & improbat. Quia enim nulla regula ſine exceptione, & hoc ipſum axioma eſt regula; ideo ipſum quoque non erit ſine exceptione; ergo aliqua regula ſine exceptione; quia igitur nulla regula ſine exceptione eſt;

Digitized by Google

eſt; ideo falſum, nullam regulam ſine exceptione eſſe. Sed hoc obiter. Interea pro certo habendum, ignaviae ignorantiaeque in dicterio iſto latibulum eſſe: nam & in grammaticis (unde ortum habet) olim *Sanctius*, poſtea *Scioppius* regulas tales exhibuere, quarum non datur exceptio; ſed quidquid vulgo pro exceptionibus habitum eſt, aut ellipſis eſt, aut pleonaſmus alicujus vocabuli. Idem vitium & in philoſophicis vulgo regulis regnat, unde & in juridicas manavit: nam ut cl. vir. *Joh. Adamus Scherzerus* in Manualis Philoſophici praefatione monuit, dicta quaedam inter regulas repoſita ſunt, quae plures habent limitationes, quam exempla; v. g. *qualis cauſſa, talis effectus*: quod ubi multis diſtinctionum ſaepibus defendere conati ſunt, tandem tamen huc recurrunt, ſcilicet in cauſſis univocis. Quid autem eſt cauſſa univoca? Ea nempe, ubi qualis cauſſa, talis effectus eſt. Regula igitur ſic concipienda erit: *ubi qualis cauſſa, talis effectus, ibi qualis cauſſa, talis effectus:*

Spectatum admiſſi, riſum teneatis, amici?

Quare regularum philoſophicarum accuratam explicationem non inutiliter molitur clariſs. *Thomaſius*, &, uti ſpero, propediem publico donabit: nos quoque, ſi Deus vires dederit, reformationem *brocardicorum* quam primum concipiemus, redigentes ad perfectam univerſalitatem omnia, &, quae hoc non patientur, tamquam inepta reiicientes. Interea illas limitationes

Digitized by Google

nes non eſt opus regulae allinere, quae ex aliis regulis in eodem libro traditis, aut tradendis, per combinationem ſumuntur: v. g. *qui promiſit, praeſtet; niſi praeſtiterit, niſi liberatio ei legata ſit, niſi compenſare poſſit*, &c. Quid haec addere opus eſt? Per ſe ex regulis poſtea tradendis conſtant, & coacervantur hac ratione tantum inutiles repetitiones & grandes libri. His malis hactenus occurſum non eſt; ideo neſcio, quem in primis regularum juridicarum auctorem commendem: laudantur tamen *Barboſa* & *Diaz*, ut eos praeteream, qui regulas juris grandibus in folio lexicis complecti voluerunt.

§. 26. Et haec de *praeceptis generaliſſimis* ſeu *brocardicis*. Sequuntur *intermedia* ad certas materias reſtricta, nondum tamen ſpecialiſſima; v. g. *cuicumque debetur reverentia, ille non eſt in jus vocandus*, v. g. Parens, Patronus, Magiſtratus coercendi jus habens, &c. Idque demonſtratur ex natura vocationis in jus, quae fit per vim; obtorto enim collo nolentes trahebantur: cujcumque autem debetur reverentia, ille non eſt violandus. Quod eſt principium ex mero jure naturae vel ruſticis conſtans. Danda igitur opera eſt, ut, ubicumque fieri poteſt, regulae generales concipiantur ad compendium diſcendi: immo tentetur, an concipi poſſit regula aliqua habens gradum neceſſitatis, qui dicitur καθόλου πρῶτον (a) ab Ariſtotele, ſeu *reciproca*, ut ſubjectum

(a) *in genere primum.*

Digitized by Google

ctum aequale ſit praedicato, nec poſſit ſubjectum generalius ad hoc praedicatum reperiri. Quo pertinent ea, quae in Arte noſtra Combinatoria meditati ſumus: v. g. *omnis & ſolus, qui res alienas in poteſtate habet, tenetur ad inventarium, aut juratam ſpecificationem*; & contra, *qui tenetur ad talem certam ſpecificationem, ille res alienas in poteſtate habet*: nam & heres hereditatem, quae ſolvendo non eſt, reſignaturus, ad ejuſmodi ſpecificationem tenetur, quia ex poſtfacto apparet aliena poſſediſſe. Similiter in materia torturae hanc mihi generalem regulam concipio, *omnis & ſolus qui condemnaretur rebus ſic ſtantibus, ſi cauſſa eſſet civilis, ille in cauſſa criminali eſt torquendus*; quia in cauſſa criminali nemo condemnatur, niſi confeſſus: ad confeſſionem igitur cogendus eſt, qui criminis convictus eſt. Unde ille etiam torqueri debet, qui exceptionem ſuam probare non poteſt, *ſondern er muſz ſie auf der tortur erhalten*, quia qui in civilibus exceptionem probare non poteſt, condemnatur. Haec una regula eſt inſtar multarum, quae de indiciis ad torturam ſufficientibus vulgo exſtant. Ita in pleriſque materiis res ad talem propoſitionem reciprocam reduci poſſet: qua de re multa admonuit cl. *Feldenus* tum in Notis ad Hugonem Grotium, tum in Elementis Juriſprudentiae. Et haec de *praeceptis intermediis*. *Specialiſſima* vero ut plurimum juris poſitivi ſunt, & in ſolemnitatibus conſiſtunt; ſuntque, generalibus demptis, admodum pauca: ſaepe

pe enim una regula, aut altera totus aliquis titulus absolvetur. Specimen hujus rei, Deo juvante, daturus sum aliquando in *Menochii* & *Mascardi* libris de Praesumptionibus & Probationibus; qui quanticumque sunt, poterunt tamen in paucas vix plures quam 100. naturalissimas regulas ita contrahi, ut liceat inde cetera omnia manifesta consequentia derivare. Laborem illum nostrum Compendium Menochii & Mascardi de Probationibus & Praesumptionibus inscribemus.

§. 27. *A titulis* eorumque dispositione veniamus ad *subtitulos*. *Subtituli* autem hi sunt, forma seu definitio, subjectum, caussa, effectus, contrarium seu destructivum. Non ignoro, varie a variis haec assignari; sed si accuratius dispexeris, omnia ad haec reducuntur. In his digerendis in primis diligens est *VVesenbecius*, & illi quoque qui classes actionum scripsere, *Oldendorpius* & *Haersolte*. Sed de *subtitulis* susius dicere ad *doctrinam topicam* pertinet. Hi igitur *subtituli* in quolibet titulo seu materia sunt observandi.

§. 28. Et haec de *jurisprudentia didactica*, seu elementis juris, quae non jurisconsultis solum sed & theologis, medicisque tenenda sunt: nam Theologiam, Jurisprudentiam, Medicinamque didacticam decet theologos, jurisconsultos, medicos, singulos cuncta scire; etsi interea necesse non sit; unum in controversias & subtiliora alterius se intromittere, quae ad partem cujusque

Digitized by Google

polemicam pertinent. Et ſcio, magnos viros in Senectute poenitentiam egiſſe ſpretae in juventa juriſprudentiae, quae quantum theologo prodeſſe poſſit, demonſtravimus ſupra (§. 5.).

§. 29. Tantum de *juriſprudentia didactica*, nunc ad *hiſtoricam* pes promovendus. *Juriſprudentia hiſtorica* eſt vel *interna*, vel *externa*: illa ipſam juriſprudentiae ſubſtantiam ingreditur, haec adminiculum tantum eſt & requiſitum. *Hiſtoria juris interna* eſt, quae variarum Rerumpublicarum jura recenſet; qualia exſtabant olim opera *Ariſtotelis*, & *Theophraſti*, ſed quibus ad noſtram usque aetatem vita non ſuperfuit. Habemus Leges Moſaicas in Sacra Scriptura, quarum cum Romanis comparationem paulo poſt Juſtinianum graeculus aliquis inſtituit; hodie vero diligentiorem ea in re operam *Zepperus* navavit. Legum Aegyptiarum, Perſicarum, Scythicarum exſtant reliquiae apud *Herodotum*, in fragmentis *Cteſiae* & *Diodoro Siculo*. Graecorum inſtituta diligentiſſime perſecutus eſt *Pauſanias*, & noſtri aevi velut alter Pauſanias, *Meurſius*. Jura Romanorum ſatis cognoſci ex variis eorum monumentis poſſunt, de quo mox. Gentium primo barbararum poſtea excultarum jura, ſcilicet Longobardorum, Gothorum, Francorum, Leges Salicae, aliaque id genus vetuſtatis monumenta collegit, unoque volumine edidit *Lindenbrogius*: Nihil dicam de Bullariis Pontificum, nihil de Gallico Codice *Land-recht*, & *VVeichbild* Saxonum, ſtatutis Polonorum, corpore juris prutenico, conſue-

Digitized by Google

ſuetudinibus Italorum magnam partem collectis a Cardinali *Tuſco*, nihil de juribus Saxonum, Hungaricorum, conſuetudinibus marchicis, aliſque id genus gentium moribus prope infinitis. Ex his aliiſque omnibus undecumque collectis, Deo dante, conficiemus aliquando Theatrum Legale, & in omnibus materiis, omnium gentium, locorum, temporum placita παραλλήλως (a) diſponemus. Hiſtoria Juris Romani in ſpecie etſi a *Forſtero* in Hiſtoria Juris, & *Jac. Gothofredo* in Manuali adumbrata ſit; deſidero tamen ſpecialiorem recenſionem, quid a quolibet Tribuno per plebis ſcita, aut a quolibet conſule per ſenatus conſulta, praetore per edicta, & imperatore per conſtitutiones ordine innovatum ſit, donec in hanc formam Jus Romanum crevit. Hoc igitur nos, libello de Auctoribus Juris Romani, aliquando exſequemur, qui libenter ab aliis neglecta aggredimur.

§. 30. *Hiſtoria externa* ad Juriſpudentiam neceſſaria eſt: *Hiſtoria Romana* ad intelligendum jus civile: *Eccleſiaſtica* ad intelligendum Jus Canonicum: *medii aevi* ad intelligendum jus feudale: *noſtrorum temporum* ad intelligendum jus publicum.

§. 31. *Hiſtoria Romana* eſt quadruplex, Reipublicae liberae, hiſtoria auguſta, hiſtoria Imperatorum Graecorum ante Iuſtinianum, & denique poſt Iuſtinianum. Hiſtoria Reipublicae liberae per compendium tradita eſt tum a *L.*

(a) *comparate.*

Annaeo Floro in Compendio Rerum Romanarum per *Freinshemium* exornato; tum in alio *Floro* Livii epitomatore, de quo Martialis,

Pellibus exiguis arctatur Livius ingens,
Quem mea vix totum bibliotheca capit;

denique in *Justino* epitomatore *Trogi*, quem *Matth. Berneggerus* accurate perpolivit. Fusius vero res romanas ante Augustum descripsere *T. Livius Patavinus*, *Dionysius Halicarnasseus*, *Plutarchus* in Parallelis; *Dio* vero transitum Romae a democratia ad monarchiam memoriae consecravit. Nec inutiliter recentiores addentur *Joh. Zamoscius*, *Carolus Sigonius*, *Fr. Robortellus Manutius*, *Turnebus*, *Lipsius*, *Jos. Scaliger*, *Th. Dempsterus a Muresk*, *Octavius Ferrarius*, *Fortunius Licetus*, *Janus Gruterus*, in primis ejus Fax Critica (velut tractatus tractatuum philologicorum) & Inscriptiones, quarum supplementis cl. vir. *Th. Reinesius* immortuus est. Nihil de *Salmasii* Pallio & Militia Romana, *Budaei*, *Gronovii* Sestertio, *Bartholini* Penula, *Barthii* Adversariis, variis denique variorum in Rem Romanam curis dicam. Addi poterunt ii, qui in notis ad auctores sua collectanea per occasionem effuderunt. Ex hac historia hauriantur leges XII. tabularum, jura praetoria, origo jurisconsultorum, & quaecumque Ciceronis aevo vel antea apud Romanos obtinuerunt. Illo tempore jurisprudentia Romana nihil a naturali recesserat, quia nondum ad libidinem dominantium Leges inflectebantur.

§. 32.

Digitized by Google

§. 32. *Hiſtoriæ Auguſtæ* eſt ab Auguſto uſque ad Conſtantinum Magnum: unde & ita inſcribuntur variorum hiſtoricorum libri a *Frid. Sylburgio* editi, & in Belgio aliquoties aliter formati. Hanc nobis reliquere *Dio caſſius*, *Sveronius*, *Tacitus*, *Vellejus*, *Herodianus* Graecus ſcriptor, *Aelius Lampridius*, aliique minutiores. Nec parum ad illuſtrandam illam confe-runt panegyrici variorum, qui nunc ut plurimum *Plinii Junioris* Epiſtolis adiunguntur, Addendi, qui ſub Imperatoribus floruere, *Philo*, *Joſephus*, *Martialis*, *Statius*, & ſcriptores Eccleſiaſtici *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Euſebius*. Sub Imperatoribus autem jura romana multum a priſca ſimplicitate receſſerunt: primus Auguſtus fideicommiſſa introduxit & codicillos; ſub Hadriano Edictum Perpetuum concinnatum eſt: quid Marcus, Verus, Commodus, Severus & Antoninus, Diocletianus denique & Maximianus contulerint, partim Codex, partim juriſconſultorum reliquiae docent.

§. 33. *Hiſtoria graeca ante Juſtinianum* a Conſtantino Magno uſque hauriri poteſt ex ſcriptoribus hiſtoriae eccleſiaſticae, & profanis *Ammiano Marcellino*, *Zonara*, *Oroſio*, *Jornande*, *Procopio*, tum in hiſtoria dudum vulgata, tum in primis in hiſtoria arcana, ubi Juſtiniani vitia detexit, quae a *Nic. Alemanno* primum edita, a cl. *Eichheſio* Helmeſtadii reviſa eſt: *Th. Riviut* Anglus ſcripſit apologiam Juſtiniani contra Procopium, & *Paganinus Gaudentius* tractatum ele-

Digitized by Google

gantem de Moribus Saeculi Juſtinianei. Legantur huc *Sidonius Apollinaris*, *Auſonius*, *Claudianus*, Epiſtolae *Symmachi*: addatur Notitia Imperii Orientalis & Occidentalis per *Guidonem Panciro-lum* cum notis edita, ad intelligendum *librum* 1. 10. 11. 12. Codicis: nec inutiliter legetur *Fr. Hottomanni* Anti-Tribonianus.

§. 34. *Hiſtoria ſequioris Graeciae* ſumenda in primis ex *Cedreno*: ſtatus aulae ex *Curopalatae* libro de Officiis: addantur & duo auctores graeci, quorum unus ſcripſit hiſtoriam Mauritii, alter hiſtoriam Captae Conſtantinopoleos; quos edidit cum notis Jeſuita *Pontanus* (nominum non recordor, quia ſine libris ſum): denique Originem & Geſta Turcarum perſecutus eſt *Laonicus Chalcocondylas* graecus. Saracenorum hiſtoria ab *Elmacino* ſcripta eſt: expeditiones in Palaeſtinam, ſeu bellum ſacrum, grandi libro exponuntur, cui titulus eſt, Geſta Dei per Francos: jura vero ſequioris Graeciae ex Baſilicis conſtant, & Epitome *Harmenopuli*, aliiſque reliquiis diligenter recenſitis a *Jac. Gothofredo* in Manuali, quem non exſcribo. Jus hoc graecum admodum illuſtravit *Jac. Cujacius*: noſtris temporibus multum in eo poſuit operae *Carolus Hannibal Fabrotus*: *Joſephi Mariae Suareſii* Notitia Baſilicorum, recentiſſimae gallicae Baſilicorum editioni addita eſt. Multa adhuc latent non in Oriente tantum, ſed & in bibliothecis Europae; quemadmodum ſpes facta eſt, budenſem nuper Viennam translatam nonnulla hujus gene-

Digitized by Google

generis attuliſſe, quae paulatim omnia dies producet.

§. 35. Poſt *hiſtoriam romanam* ad intelligendum jus civile, ſequitur *eccleſiaſtica* ad intellegendum jus canonicum, quae eſt vel *totalis* vel *partialis*. *Totalis* eſt vel *compendioſa* vel *fuſa*. *Fuſa* eſt in *Centuriatoribus Magdeburgenſibus*, Annalibus *Baronii*, Annalibus *Bzovii* Baronium continuantibus: addantur *Torniellus*, & *Salianus*. *Compendioſa* eſt *Pappi*, *Joh. Henr. Hottingeri*, Gothana nupera, *Joh. a Laet.* Hiſtoria Univerſalis, cujus dimidiam ſemper partem rebus eccleſiaſticis magno ſtudio impendit, *Spondani* Epitome Baroniana.

§. 36. *Hiſtoria Eccleſiaſtica partialis* eſt *Rituum, Martyrum, Patrum, Dogmatum, Conciliorum, Haereſium, Regiminis, Pontificum, Ordinum Eccleſiaſticorum.* De *ritibus* habemus *Joh. Baptiſtam Caſalium*: adde in primis, quae in commentario ad dictum Tertulliani *fiunt non naſcuntur Chriſtiani* part. 1. ordine alphabetico collegit cl. *Zimmermannus:* huc legenda *Caſauboni* Animadverſiones ad Baronium *Richardi Montacutii* & Baronio & Caſaubono adverſantis ſcripta, *Salmaſii* Apparatus, varii tractatus *Joh. Dallaei.* De *martyribus* ſunt variorum Martyrologia, ut *Bedae*, *Uſuardi*, *Molani*, *Baronii*: huc pertinet tractatus de Suppliciis Veterum Chriſtianorum *Nic. Gallonii*, item Vitae Sanctorum per *Laurentium Surium* grandibus tomis comprehenſae. In *Patribus*, qui ſcripta nobis reliquerunt, variorum diligentia ſe exercuit. §. 37.

Digitized by Google

§. 37. *Hiſtoria dogmatum* eccleſiaſticorum; ſeu quid quolibet tempore & loco quiſque in quolibet articulo ſenſerit, diligenter collecta eſt a *Dionyſio Petavio* ex Catholicorum ſententia in grandi illo de Dogmatibus opere totam Theologiam complexo. Dogmata autem ut plurimum in conciliis ſtabilita ſunt: hujus igitur loci eſt hiſtoria conciliorum, quam contraxere *Fr. Longus Coriolanus* in Summa Conciliorum, & *Barth. Caranza* in Summa Conciliorum & Pontificum. Ipſi vero tomi conciliorum Coloniae primum editi ſunt, poſtea aliquoties in Gallia, & poſtremum ſumptuoſiſſimo illo opere regia pecunia accurato: aliam, ut audio, editionem minus ſplendidam ſumptuoſamque Galli compreſſioribus litteris moliuntur, ne plane deſtituatur utiliſſimo opere, cui arctiores paulo res ſunt.

§. 38. *Hiſtoriam Regiminis Eccleſiaſtici* ſeu Hierarchiae fuſe pertexuit *M. Antonius de Dominis* in Republica Eccleſiaſtica: adde ſcripta de Poteſtate Papae *Roberti Bellarmini*, & contra Bellarminum *Guilielmi Barclaii*, & ipſius regis magnae Britanniae *Jacobi*, cui ſe oppoſuit *Matthaeus Tortus* perſonatus ſcriptor pro Bellarmino, quem excepit edita pro rege Tortura Torti: addantur varii ſcriptores de Hierarchia Eccleſiaſtica Catholicis; item qui ſcripſere de Libertate & Privilegiis Eccleſiae Gallicanae, quorum poſſet texi catalogus ingens; item qui pro Ludovico Bavaro Imperatore ſcripſe-

pſere, *Marſilius Patavinus*, *Guilielmus Occam*, aliique quorum reliquias in unum volumen collegit *Melchior Goldaſtus*. *Hiſtoria Pontificum* exſtat *Platinae*, *Onuphrii Panvinii*, *Stellae*, *Dieterichii &c.* Huc pertinet *hiſtoria Cardinalium*, & prodiit ſane nuper de Cardinalibus commentarius: exſtat & tractatus *Freinſhemii*, in quo ventilatur, quaeſtio praecedentiae inter Sac. Rom. Imperii Electores, & Cardinales. *Epiſcopatuum*, *Monaſteriorum*, *Templorum*, aliorumque quae poſterioribus eccleſiae temporibue invaluerunt, hiſtoria collecta eſt a *Rud. Hoſpiniano* reformato in libris de Origine Templorum & Monaſteriorum: cui jungi poteſt *Himmelius* de Canonicatibus, & Hiſtoria Academiarum *Joh. Middendorpii*, *Lanſii*, *Limnaei*: quo pertinet *hiſtoria Theologiae ſcholaſticae*, quam in Prolegom. ad Petr. Lombardum perſtrinxit *Lambertus Danaeus*. Poſſem hic longum catalogum eorum texere, qui variorum Ordinum in ſpecie annales ſcripſere, v. g. Minoritarum, Dominicanorum, Ciſtercienſium, Carmelitarum, Auguſtinianorum, Carthuſianorum, Minimorum, Societatis Jeſu &c., ſi neceſſaria eſſet juriſconſulto ſpecialis horum cognitio. Societatis tamen Jeſu hiſtoria in primis digna legi, ea maxime, quae Romae in folio prodiit, & toties continuatur, quoties aliquis Generalis deceſſit: item Bibliotheca Societatis Jeſu, quam edidit *Phil. Alegambius*. Ita igitur *hiſtoriam eccleſiaſticam* abſolvimus juriſconſulto politicove hodier-

dierno accurate cognoſcendam, ne plebis more imperito zelo rapiatur; ſed ut, cognitis omnium opinionum principiis, poſſit ſine affectu defaecata mente judicare: multum enim negotiis civilibus religionis tractatio immiſcetur. Plerumque autem in ſingulis hiſtoriae eccleſiaſticae capitibus, ex omnibus religionibus in Imperio approbatis auctores adduximus, ne quis ab adverſae partis homine ſibi imponi vereatur.

§. 39. *Hiſtoriam Eccleſiaſticam* ad intelligendum jus canonicum ſequitur *hiſtoria rerum germanicarum* ſeu *medii aevi*, ad intelligendum jus feudale. Huc pertinent plurimi illi minuti ſcriptores, quales *Otto Friſingenſis*, *Abbas Urſpergenſis*, *Adamus Bremenſis*, *Albertus Stadenſis*, *Gobelinus Perſona*, *Luitprandus*, *Guntherus in Ligurino*, *Sigebertus Gemblacenſis*, *Saxo-Grammaticus*, aliique paſſim a *Simone Schardio* aliiſque in tomis Rerum Germanicarum editi. Nil dicam de iis, quos in Anglia eruit *Seldenus*, quos in Polonia recenſuit *Starovolſcius* in Hecaton-tade Scriptorum Polonicorum. Nec inutiliter accedent Chronica, *Lehmanni* Spirenſe, *Kyriandri* Trevirenſe, *Nic. Serarii* Moguntinum: item Annales Danici *Joh. Iſ. Pontani*, & omnino Res Septemtrionales *Olai Magni*, Res Islandicae deſcriptae per *Jonam Arngrin*, res Anglicae per *Cambdenum*, Scoticae per *Buchananum*, Hibernicae in edita non ita pridem Lyra Hybernica, Gallicae per *Paulum Aemilium*, *Joh. Tilium*, *Serranum* in Inventario, Hiſpanicae

Digitized by Google

nicae per *Marianam*, Lusitanicae per *Osorium*, Bohemicae per *Dubravium*, Polonicae per *Cromerum*, Misnicae per *Fabricium Chemnicensem*, Frisicae per *Ubbonem Emmium*, Vvestphalicae nuper per *Joh. Justum VVinckelmannum*, Belgicae per *Ant. Thysium*, Silesicae per *Curaeum* Charinthiacae per *Megiserum*, Austriacae per *Cuspinianum* & *Gerhardum a Rhoo*. Helveticae per *Stumphium*, Slavicae per *Helmoldum*, Venetae per *Bembum*, siculae per *Fazellum*, Suevicae per *Crusium*, Bavaricae per *Aventinum* Ungaricae per *Ortelium* & *Nadasii* Florum ungaricum; omnes congerere nihil opus. Addantur, quod res germanicas attinet, scripta *Freheri*, *Goldasti*, *Meibomii*, *Lindenbrogii*, *Coringii*; & *Besoldi*. Addantur, qui de originibus feudorum scripsere, in primis *Cujacius* & *Hottomannus*, *Hottomanni* item Franco Gallia, multique alii gloriae numquam intermoriturae viri item lexica germanica, de quibus in *jurisprudentia exegetica* infra.

§. 40. *Historiam medii aevi* ad intelligendum jus feudale sequitur *historia hodierna* ad intelligendum jus publicum. *Hodiernam* autem appello, quae proximum & praesens saeculum decimumsextum & decimumseptimum complectitur. Superioris saeculi res plerumque religioni involutae sunt: eas descripsere *Sleidanus*, & aemuli *Sleidani*, *Gennepius*, & *Laurentius Surius*. Huc pertinet Historia Concilii Tridentini *Petri Suavis Polani*, id est *Pauli Sarpii* vene-

Veneti, de qua judicium ſuum expoſuit auctor diſſertat. de Tribus Hiſtoricis Concilii Tridentini. Inſtar omnium eſt *Jac. Aug. Thuanus*, vir veterum laudibus nihil ceſſurus, Livius noſtri aevi, in ſtupendo Hiſtoriarum volumine. In rebus belgicis excelluit *Em. a Meteren*, & nulli veterum virtute ſecundus, Tacitus noſtri ſaeculi, *Hugo Grotius* in Annalibus Belgicis. Bellum cyprium a federatis cum Turca geſtum deſcripſit *Petr. Bizarcus*. Noſtro ſaeculo legendus eſt *Grammondus*, & de bello germanico *Caraffa* in Germania Sacra Reſtaurata, & brevis ſed elegantiſſimus auctor Compendii Rerum Germanicarum annonymus, qui a primis bohemicis initiis ad Lipſiam uſque a Forſtenſohnio captam pervenit; nec praetereundus *Bogeslaus a Chemnitz*, ſi verum hoc ejus nomen eſt, qui fuſe res germanicas explicuit. *Grammondi* quaedam de proximis temporibus adhuc premuntur, ut audio, edenda quum periculum abfuerit: commendatur & hiſtoria horum temporum *Vitt. Syri*. Nihil dicam de Theatro, nihil de Diario Europaeo, vaſtis operibus ſemperque creſcentibus. Vigilandum vero in primis eſt in colligendis ſcriptis publicis varia occaſione prodeuntibus, manifeſtis, paſquillis, aliiſque, ex quibus ſingularis rerum cognitio hauriri poteſt. Talia collegit *Hortlederus* in libro *von Urſachen des Kriegs in Deutſchland* *Lundorpius* in Actis Publicis nuper recuſis, ejuſque continuator *Meyerus*. In primis quoties con-

controverſiae juris publici ſcriptis editis ventilatae ſunt, danda juriſconſulto opera eſt, ut potiatur, quales cauſſae tutelae Palatinae, Donavverdenſis, Brunſuicenſis, Erfordienſis, VVildfangiatus, juris coronandi inter Moguntinum & Colonienſem, aliaeque publice celebratae: conſulantur, quae nuper cl. vir *Joh. Th. Sprengerus* de Praetenſionibus Illuſtribus, & alias juri publico illuſtrando compoſuit. Etſi autem & *Dominicus Arumaeus* & *Joh. Limnaeus* de Jure Publico grandibus libris diſſeruerint; tam multa tamen aliena immiſcuere, ille ex jure privato, hic ex hiſtoria & philologia, ut ego non dubitem, quin omnia, quae revera juris publici ſunt, ex iis in brevem libellum contrahi poſſint. Unde molior Compendium Juris Publici ex Arumaeo & Limnaeo, nihil ſuperflui admiſſurum, nihil neceſſarii omiſſurum. Interea *Lampadius* legatur, in quem Notas egregii viri *Herm. Conringii* dudum expectamus. Prae *Hippolyti a Lapide* de Ratione Status famoſo prope in Domum Auſtriacam libello legatur commentarius de Ratione Status cl. viri *Joh. VVolffg. Textoris*, & *Stephani de Monzambano* nuperrimus, ambo lectu digni.

§. 41. Hoc loco operae pretium eſſet conſcribi *hiſtoriam irenicam* a primis ſchiſmatis initiis ad noſtra uſque tempora. Tentarunt enim conciliationem *Eraſmus Roterodamus*, *Phil. Melanchthon*, *Mart. Bucerus*, *Julius Pflug* Epiſcopus Numburgenſis, ceterique, quorum conſilio, bono

bono ſane ſi ſucceſſum habuiſſet, *interim* confectum eſt. Inde concordiam moliti ſunt, rationeſque ejus ineundae partim ediderunt *Geor. Caſſander*, Georg. *VVicelius*, *Andreas Fricius Modrevius*, *Cardinalis Lotharingius* in Colloquio Poſſiaceno cum *Theod. Beza* recenſente Thuano, deinde *Jac. Acontius* in libro de Stratagematis Satanae. *Marcus Antonius de Dominis*, *Pareus* in Irenico, ipſe *Thuanus* in praefatione Hiſtoriarum, *Grotius*, *Calixtus* in heleſtadienſi, *Dreierus* in regiomontana Academia, auctor, ſed minime ferendus Irenici Irenicorum cum *Comenio* velitatus, *Joh. Duraeus* Scotus, *Joh. Matthaei* Epiſcopus Suecus in Ramo Olivae Septemtrionalis, denique proxime Collocutores Rintelenſes & Pacificatores Marchici. Hi ut iterum dicam, propterea juriſconſulto cognoſcendi ſunt neceſſario, ut diſcat diſtinguere controverſias, deſinatque in alios ob qualemcumque opinionis, vel cerimoniarum diſſenſum fulminare.

§. 42. A *juriſprudentia hiſtorica* pergo ad *exegeticam*: nam etſi *exegetica* quodammodo *hiſtorica* ſit, enarrat enim, quis de facto ſenſus fuerit legislatoris; tamen, quia latiſſime fuſa eſt, merito ſeparatim tractatur. Duplex autem eſt, alia *ex textu*, alia *ad textum*. Illa ex variis textibus ſimul, non ordine textuum, ſed alio aliquo colligitur; haec κατὰ πόδας (*a*) ad ipſos textus accommodatur, libriſque immediate alligata

(*a*) *pedem non diſcedendo*

Digitized by Google

ta eſt. Illa pertinet ad *philologiam juris* ad imitationem Philologiae Sacrae *Sal. Glaſſii*, haec ad *commentarios juris*.

§. 43. *Philologia juris* conſiſtit in applicatione diſciplinarum ad juriſprudentiam, & dividitur in *grammaticam*, *didacticam*, *rhetoricam* (quo pertinet & *poetica*), *hiſtoriam*, *ethico politicam*, *logico metaphyſicam*, *phyſicam* denique *legalem*; de quibus pluribus in noſtro Specimine Quaeſtionum Philoſophicarum ex Jure Collectarum: add. cl. viri *Chriſtiani VVoldenbergii* Juriſconſulti Roſtochienſis Manipulos Juris. Si cogitata nobis exequi licuerit, cujus rei tunc ſpecimen dedimus, totam aliquando tentabimus elaborare, ac titulo Philologiae, ac Philoſophiae Legalis in medium producere; quam in rem multa non vulgaria a nobis ſunt obſervata.

§. 44. *Grammatica legalis* ante omnia requirit *concordantias juridicas*: ea enim in parte hactenus theologi jurisconſultos vicerunt; nolim tamen rem ad eam nimietatem, qua theologi ipſi nunc laborant, excreſcere. Poſſent & theologicae & juridicae concordantiae eſſe portatiles, ſi obſervarentur tantum loca inſigniora, & in iis uſus vocis ſingularior; quid enim opus omnia penitus ſimilia colligere? obſervetur autem vocis 1) *ſignificatio*, 2) *derivatio*, 3) *appoſita*, quando ſubſtantiva conjunguntur; v. g. voces *vis* & *poteſtas* ſaepe conjungi obſervatum eſt, ut in definitione tutelae vulgo adnotant, 4) *epitheta* 6) *conſtructio* vel *declinatio*; v. g. *vis* in genitivo

civo apud Jurisconsultos usurpatur hujus *vis*. Sunt igitur hae *juris concordantiae* nihil aliud, quam index verborum.

§. 45. Has sequitur *lexicon juridicum*, quod refert ea quoque ad vocem, quae in libris legum reperta ad eam pertinent; etsi non nominetur v. g. quoties vocabuli synonymia vel periphasis, non ipsum vocabulum ponitur: hoc non potest in *concordantias*, sed in *lexicon* sub illud vocabulum referri: huc pertinent & homonymiae ex variis legum locis colligendae. *Lexicon* etiam non ad solos juris libros restrictum est, sed per omne interpretum genus volitat, usumque vocabulorum ex iis observat; quia hodie communis doctorum modernorum opinio magis saepe in decidendis controversiis, quam vetus Romanorum lex, valet. *Lexicon* autem *juridicum* non tam opus est novum confici, quam augeri vetera, qualia, sunt *Oldendorpii*, *Schardii*, *Calvini*, *Speidelii* latina, ex quibus sequens ut plurimum praecedentem exscripsit, auctoque parum ejus labore, minime laudanda ambitione suum nomen indidit; deinde *VVebneri* in Observationibus *Besoldi* in Thesauro Practico, *Speidelii* in Notabilibus, germanica: *Speidelius* vero ceterorum supplementis auctus, titulo Speculi, in folio prodiit: *Besoldum* quoque cl. *Dietherrus* revidendum augendumque Noribergae nunc sub manibus habet. Quumque voces in his Lexicis occurrentes ut plurimum sint aut germanicae, aut barbarae ex germanicis in latinas de-

detortae; hinc legendi qui de germanicis vocibus commentati sunt, quales *Joh. Goropius Becanus* in variis operibus, *Joh. Isacus Pontanus* in Originibus, *Schottelius in der Deutschen Sprachkunst*, multique alii *chottelio* citati. Voces latino-barbaras collegit *Gerh. Joh. Vossius* in opere de Vitiis Sermonis, graeco-barbaras *Meursius* in Glossario.

§. 46. Sunt & alia *grammatica* ex jure observanda, v. g. orthographia legalis *Olingeri* prodiit; & pretium operae est considerare rationem scribendi in Pandectis Florentinis mire diligentem & accuratam, & retinentem antiquitatis: nec praetereundae notae veterum, quarum hinc inde fragmenta supersunt: memini, videre me peculiare veteris cujusdam auctoris de Notis opusculum: addatur & *Justi Lipsii* elegans de Notis epistola, ac super eam Comm. *Meisneri* in Misnia rectoris: nec negligendae singulares quaedam in jure loquendi rationes examinatae a *Laur. Valla*, defensae a *Budaeo*: priscianismos quin etiam juris observare sibi visus est *Ant. Matthaei* in Collegio Fundamentorum Juris: nec abludunt ab hoc loco derivationes quaedam juridicae ridiculae, v. g. *Varronis* de fundo, qui mitti possit funda, *Accursii* de irenarchis, quod iram arceant, nescio cujus ex schismaticorum grege de Ecclesia Laterana, quae dicatur quasi latens rana, quam ibi Nero evomuerit, &c.

Digitized by Google

§. 47. Nec contemnenda ad *rhetoricam* colligi ex juriſconſultis veteribus poſſent; quemadmodum enim de *tropis Scripturae* ſcripſit *Barth. VVeſſbemerus*, ita de *tropis legum* neminem adhuc ſcripſiſſe miror, niſi quod cl. *VVoldenbergius* quaſdam juris metaphoras, adagia, verſuſque gloſſae collegit. *Formulas* etiam ex jure operae pretium eſſet colligi, v. g. inchoandi, finiendi, increpandi, refutandi, laudandi. Ita poſſet juriſconſultus in ſcribendo ſtilo legum ut, quemadmodum theologi ſacro, quod eſſet ei ornamentum inſigne. Huc pertinerent *adagia juris* (vid. *Dn. Brandes* id admonentem in tract. de Vera Juriſprudentia: ſpecimen dedit Dn. *VVoldenbergius*) quemadmodum *adagia ſacra* ſcripſit *Martinus Del Rio* & *Zebnerus*, *adagia Patrum Aloyſ. Novarinus*. De *charactere* etiam ſeu forma orationis in legibus multa non contemnenda dici poſſent, quae alia eſt in Digeſtis & Conſtitutionibus Imperatorum veterum, & alia prolixior longe & loquacior in Conſtitutionibus Imperatorum graecorum: unde inſignes viri ſaepe latentem ſub veterum Juriſconſultorum nomine Tribonianum, praeminentibus velut arcadici pecoris auribus, ſtili judicio deprehenderunt. Ad *poeticas* h. l. obſervationes pertinent verſus caſuales, ſeu qui auctoribus praeter opinionem excidere. Tales nonnullos ex jure *Bachmannus* & *Helvicus* obſervavere in Poetica Gieſſenſi, *Gothofredus* quoque nonnumquam in Notis, *Barthius* in Adver-

Adverſariis, & *Voſſius* in Inſtitutionibus Oratoriis.

§. 48. *Didactica juridica* eſt haec ipſa quam nunc ſcribimus, in qua methodus diſponendi, docendi, diſcendi juris explicatur: quo pertinent variorum reperta mnemonica, vel per verſus, v. g. Memoriale Juridicum *Bucksylberi*, vel per figuras picturaſque. Quidam virginem commenti ſunt vario ornatu, per cujus lacinias & mundum muliebrem tituli juris concordantes juſto ordine diffundebantur. Fuit & qui aſini figura omnes juris materias repraeſentare conatus eſt: poſſes hanc vere pontem aſinorum dicere. Sed tutiſſimum mnemonicae genus eſt methodus ſolida & accurata. Pertinent ad *didacticam* & *gradus legum*: qua in re prodiit non ita pridem opuſculum Heidelbergae mira diligentia concinnatum, cujus auctor, perlectis expenſiſque legibus, omnes totius corporis in 5. *gradus* diſtribuit neceſſitatis & utilitatis. Qui labor mire poterit juvare eum, qui juris corpus perlecturus eſt; habet enim in illo libello δακτυλοδείκτην (a) utiliorum & maxime neceſſariorum. Operae pretium eſſet, ſi in nova aliqua editione corporis juridici pro ſingulis *gradibus* certa legibus ſigna adderentur; ita haberet lector uno obtutu, quid quando ſibi legendum vel tranſiliendum eſſet. Add. catalogum legum difficiliorum, &, ut ipſe vocat, Candidatoriarum in Manipulis cl. *VVoldenbergii*.

(a) *Indicem*.

Digitized by Google

§. 49. *Hiſtoria legalis* dudum praelibata eſt (§. 29.), ubi occaſione hiſtoriae externae, quae magis requiſitum quam pars juriſprudentiae eſt, internam quoque praeoccupavimus: hoc tamen loco addenda, quae ad *exegeticam* pertinent, cohaerentia legum in Digeſtis apud ſuos auctores, quam ope τῶν ἐπιγραφῶν (*a*) magno ſtudio in Indice ſuo concinnavit *Jac. Labittus*, cujus opera effectum eſt, ut *Paulum*, *Ulpianum*, *Cajum*, *Modeſtinum* non laceratos, ſed continuos habere nobis videamur. Quatuor uſus per exempla demonſtravit *Labittus*: potiſſimus eſt, quod cognita hac ratione συναφείᾳ (*b*) textus, lex legem explicet, & ἐναντιοφανείαι (*c*) tollantur. Pertinet & ad *biſtoriam legum* Catalogus Abrogatorum *Bigonii*, & ἁμαρτήματα μνημονικά (*d*) multis inſignibus viris non vitata; qualia in tit. de Orig. Jur. nonnulla admiſit Pomponius, aut potius, quod volebat Hottomannus, ſub ejus nomine Tribonianus.

§. 50. *Ethica & politica legalis* ſequitur, qua de re *Olingerus* in Ethica Legali. *Vincentius Turturetus* in Parallelis Ethico-juridicis, *Ad. Keller* in offic. Jurid. Polit. *Bodenſteinius* in Juriſprudentia Politica. Multa etiam ad ethicam politicamque pertinentia in ſuo Commiſſario requiſivit & explicuit *Rutgerus Rulant*: *Jacobus Gorbofredus* quoque in ſuo Manuali per totum juris

(*a*) *Titulorum.*
(*b*) *Connexione.*
(*c*) *Diſſonantiae.*
(*d*) *Lapſus memoriae.*

Digitized by Google

juris corpus axiomata quaedam magnam partem ethico politica collegit, quibus ordo tantum certus ſyſtematicus facili negotio addendus deeſt: add. ſententias echico-politicas in cl. *VVoldenbergii* Manipulis. *Phyſica* vero juris fuſe explicata eſt in *Pauli Zacchiae* Quaeſtionibus Medico legalibus, & *Joh. Bapt. Codronchii* Methodo Teſtificandi in Quaeſtionibus Medico Oblatis: *Geometriae juridicae* ſpecimen dedimus in ratione reddenda l. ult., D. fin. regund. Specim. Quaeſt. Philoſ. ex Jur. quaeſt. 3. *Arithmeticae juridicae* copioſa in legibus eſt meſſis: addatur *Budaeus* de aſſe & *Joh. Bapt. Coſta* tr. de Quota & Rata, & nos in Arte Combinatoria, problem 3. n. 16.

§. 51. Sed *logica* in primis & *metaphyſica juris* omittenda non eſt, ſeu regulae quaedam philoſophicae in jure obtinentes, quas regulis juris vulgo male immiſcent. In regulis talibus ſtudium poſuere auctores plurimi *logicarum juridicarum*, *Fr. Hottomannus* in Inſtitutionibus Dialecticis, *Joh. Dh. Freigius* in Logica Juriſconſultorum, *Mart. Schikardus* in Logica Juridica, *Nic. Vigelius*, *Matth. Stephani*, & *Dan. Otto* in Dialecticis Juris, *Nic. Everhardus* in Locis Argumentorum Legalibus, & *Georg. Adamus Brunerus* in Synopſi Topicorum Everhardi, *Joh. a Felde* in manuſcriptis Notis ad Topica Ariſtotelis, ubi cunctas fere in illis regulas longe ſupra millenarium numerum excreſcentes, ſelectis exemplis juridicis illuſtrat: dignum opus cui ab auctoris manu ultima lima accedat, &

Digitized by Google

typis publicis digna vestis. Hi igitur ex professo regulis philosophicis ex jure abstrahendis operam dedere. Idem obiter ac passim fecere barbari illius aevi jurisconsulti in suis ad leges commentariis, quorum non minima pars erat regularum generalium ex lege eliciendarum cura, adeo ut ad extremum nimia ac paene superstitiosa esset. Quid barbarius, quam ex L. Barbarius. D. de Offic. Praet. exculpere regulam, *quod error communis faciat jus?* Non tamen ob hos naevos veterum nobis regularum & brocardicorum studium plane abiiciendum est, quod *Jac. Cujacius* & *Claudius Cantiuncula* nimio vehementius suaserunt. Ad hanc *logicam juris* pertinent jurisconsultorum rationes definiendi, dividendi, casus formandi per artem combinatoriam, quae *Jac. Gothofredo* in Manuali Artis causandi nomine veniunt, *Paulo Busio* Subtilitates Juris: item legum παροράματα (*a*) logica & petitiones principii, quarum aliquas peculiari dissertatione Collegio Fundamentorum inserta collegit *Ant. Matthaei.* Observavimus & syllogismos eorum nonnullos in forma peccantes. Huc pertinet & methodus in qualibet materia tractanda seu titulo observata, quae in Digestis satis bona est, in Codice nulla; ibi enim Tribonianus non rerum, sed temporum sequutus est ordinem.

§. 52. Ad hanc *logicam juridicam* pertinent & *conciliatio antinomiarum.* Hic vexatissima quaestio,

(*a*) *Lapsus per negligentiam.*

Digitized by Google

ſtio, *denturne in jure antinomiae*? De quo ego non magis dubito, quam de veritate horatianae ſententiae.

Atque opere in magno fas eſt obrepere ſomnum; praeſertim quum plures operis ſocios non iiſdem ſemper credibile ſit conſiliis uſos. Immo quicumq.; veſtigia juris veteris in Digeſtis ſupereſſe tradunt, eo ipſo admittunt antinomias; volebat enim Juſtinianus, & profitebatur Tribonianus vetera omnia ſublata. Quid dicam de contrariis inter ſe juriſconſultorum ſectis? Et ſunt leges quaedam, ubi in terminis unus alium diſſentientem allegat, cujus deinde diſſenſus alio in Digeſtis loco expreſſe reperitur. Idem cl. juriſconſulti docent ab aliis longo agmine introducti ſolius ſacrae Scripturae eſt ſibi ubique conſtare. *Ars ſolvendi antinomias* conſiſtit in eo, ut tueamur, aliud ſubjectum vel predicatum eſſe in hac, aliud in illa lege vel propoſitione, vel utrumque eſſe idem. Quibus autem modis probari Ariſtoteles diverſitatem & identitatem poſſe oſtendit, tot modis ſolvi poſſunt antinomiae, quod nos in peculiari commentario de Arte Solvendi Antinomias plenius oſtendemus. Antinomias porro juris nobiliſſimas jam olim pleraſque gloſſatores veteres ante aut circa Accurſium collegere: non ita multae a poſterioribus juriſconſultis inventae & ſuperadditae ſunt, ſed contra conciliatio ſolida ut plurimum recentius reperta eſt. Accurſius conciliationibus abundat, ſed incertiſſimis, quod ipſe perpetuo illo ſuo, *vel dic*, fatetur.

Sed

Digitized by Google

Sed magni illi jurisprudentiae restauratores *Duarenus*, *Cujacius*, *Hottomannus* gordios hosce nodos plerosque secuerunt: ex quorum scriptis conciliationes in unum collegere *Hub*, *Giphanius*, *Pacius* Centur. ἐναντιοφανειῶν (a), *Nicol. a Salis* in Sicilimentis Juris *Nic. de Passeribus* in suo illo libro, ubi se jactat antinomias omnes solvisse, & reliqua ignobilior turba. Nos desideramus brevem antinomiarum recensionem vix quatuor plagulis constantem; ubi addatur una solum primaria solidaque solutio, allegeturque ejus primus inventor; aut si insolubilis antinomia est, id quoque magni alicujus viri auctoritate breviter admoneatur. Tale breviusculum opus, sed discentibus utilissimum, quum otium erit, Antinomici minoris titulo moliemur; Major enim est, qui fuse varias auctorum solutiones, rationesque earum ac difficultates enarrat.

§. 53. *Philologiam ac philosophiam legum* absolvimus tamquam interpretationis praeliminaria: sequitur *Interpretatio legum* ipsa, quae est vel *simultanea*, unius legis cum alia, vel *solitaria*, cujuslibet pro se. *Simultanea* est, quando vel *series legum* ostenditur, vel *summa*, vel *paratitla* conficiuntur. *Series legum* haberi non potest, nisi habita *serie titulorum*. *Series titulorum* a multis adumbrata est in suis oeconomiis juris, ut a *VVesenbecio* & *Giphanio*; tabellis usus est *VVilh. Schmuccius* in Nervosa Synopsi Juris Civilis & Canonici, quum ceteri plerique

(a) *Dissonantiarum.*

Digitized by Google

que posterius neglexerint. Ex recentioribus laudantur tum tabulae clarifs. viri *Joh. Ottonis Thaboris*, tum series titulorum juris civilis inserta egregio Manuali *Jac. Gothofredi*, ubi ille plurimos nodos ex historia & Edicti Perpetui ordine dissolvit. *Series legum* cujuslibet tituli in Digestis & Decreto ad certam aliquam ex re sumptam rationem, atque ita ad tabulas reduci potest; quod non patiuntur Codex & Decretales, in quibus temporum ordine rescripta locantur. Sed nec illic quisquam huc processit, ut ipsas leges in tabulas redigeret: qua in re theologorum diligentia victi sumus, qui tabellas & analyses suas ad ipsos usque verticulos produxere.

§. 54. *Seriem Summa* sequitur, quae est vel *universalis*, vel *particularis*. *Universalis* omnium juris librorum, nempe Pandectarum, Codicis, Novellarum, Juris Feudalis, Pontificii, Recessuum Imperii simul. Hanc voco Institutiones Juris Universi, quae in eo differunt ab Elementis Juris (§. 22. *seqq.*) descriptis, quod hic etiam abrogata & vetus jus breviter recensetur, quod & in suis Institutionibus fecit *Justinianus*; illic tantum usu recepta hodierno. Methodus interim eadem esto, quae Elementorum; quod perpetuo observandum censuimus, ne methodorum varietate discentes turbentur, Juris Universi Institutiones qui hactenus composuerit, non recordor.

§. 55.

Digitized by Google

§. 55. *Summa particularis* est vel *librorum* seu operum, vel *titulorum*. *Summa librorum* est varia pro librorum juris varietate. Compendium Institutionum Justinianearum elegans praemittitur in corpore juris *Gothofredi*: sed quum ordinem titulorum legumque servet, legum potius in Institutionibus, quam ipsarum Institutionum *summa* dici debet. Digesta & Codicem separatis aphorismis egregie contraxit *Arnoldus Corvinus* v.cl. Jus novissimum seu Novellarum in unum collectum est per *Gudelinum*. Institutiones Juris Canonici confectae primum a *Lancelloto* privato studio, a cujus morte, accedente approbatione publica, insertae sunt corpori canonico. Exstant & Institutiones Juris Canonici *M. Ant. Cucchi*, & Aphorismi Jur. Canonici ejusdem *Arn. Corvini*. Institutiones Juris Feudalis dedit omnium optime *Herm. Vultejus*, quas ipsas iterum sub finem in brevissimam synopsin contraxit. Desiderantur adhuc Institutiones Juris Caesarei, seu compendium recessuum Imperii ordinationisque cameralis &c. Desiderantur item Institutiones Juris Saxonici methodice ex corpore juris Saxonico collectae, in quibus conficiendis tamdiu cessatum esse, semper miratus; sed quia dum alius alium exspectat, intermittunt omnes; nos propediem, si Deus adjuverit, tum Caesarei, tum Saxonici Juris Institutiones moliemur, nisi interim aptior aliquis praevenerit. Interea pro jure Caesareo legi possunt, in primis quod proceſſum

Digitized by Google

ceſſum attinet, Pandectae Camerales *Rodingeri*, pro Saxonico vero *Geo. Schulzii* Synopſis Inſtitutionum Juſtinianearum, quibus loca parallela ex jure Saxonico adjecit.

§. 56. *Summa titulorum*, quae in gloſſato corpore reperitur, & manca & ſuperflua & inordinata eſt: quemadmodum & gothofredea ſuperflua & inordinata, dum legum in titulo ordinem perſequitur; manca, dum ponit tantum terminos ſimplices, non totam propoſitionem. Optimae in hunc finem ſunt *Julii Pacii a Beriga* Analyſes, nuper in Belgio auctiores recuſae. Nos ſpecimen tituli contracti dabimus tum ex Digeſtis & Codice, tum ex Novellis. Talis *titulorum ſumma* omnium maxime neceſſaria eſt in Codice & Novellis, in quibus conſtitutiones a ſequioribus Imperatoribus confectae; nam garrulitate, longis proemiis, & neſcio quibus rhetoricationibus, lectorem non detinent modo, ſed & confundunt.

§. 57. Ex digeſtis placuit tit. 3. lib. 3. de Procuratoribus, & Defenſoribus diffuſus per leges 78. breviſſimo ſermonis genere ſcriptus: nos tamen, univerſalia abſtrahendo, ſic contraximus, ut omnes tituli leges ex noſtris regulis liceat derivare. *Procurator* eſt, qui alterius conſentientis negotia adminiſtrare conſenſit. In primis autem h. l. ſermo erit de *judiciali*. *Dare* eum poteſt, cui ſuis rebus praeeſſe jure licet (*l.* 8. 33. 35. §. 1. *l.* 43. §. 1.) *Dari*, qui non prohibetur (*l.* 43. *pr.* §. 1.)

Probi-

Digitized by Google

Prohibetur in litibus miles, nisi agat nomine sui numeri vel in rem suam (*l.* 8. §. 3.), femina, nisi pro parentibus in casu necessitatis (*l.* 41.), duplex pro uno (*l.* 31. §. 1. 2. *l.* 33.), unus pro pluribus in ea causa adversis (*l.* 43. §. 6.). *Constituitur* mandato Domini (*l.* 27. 47.) cum consensu Procuratoris (*l.* 1. §. 2. *l.* 3. 5. 6. 7. 8. §. 1.), vel litis contestatione, post quam fera est exceptio Procuratoria (*l.* 8. §. 3. *l.* 40. §. 3. *l.* 57. §. 1.) *in causis civilibus* omnibus, nisi exceptis: exceptae sunt actio popularis, quando privatim agentis non interest (*l.* 42. 45. §. 1. *l.* 74.), & plerumque famosa (*l.* 39. §. 7.) Oritur hinc 1) *obligatio Procuratoris* erga Dominum mandati (*l.* 42.) ad administrandum (*l.* 15.), & quae consequutus est ex hac causa restituendum (*l.* 46. §. 4.) erga adversarium ad suscipiendum judicium, si consentiente ipso Dominus cavit judicatum solvi (*l.* 8. §. 3. *l.* 17.); nisi utrobique necessitate (*d. l.* 8. §. 3. *l.* 9. 19. 21.), vel majore utilitate sua (*l.* 10. 20.) vel inimicitia cum Domino (*l.* 14. 21.) vel dignitate (*l.* 8. §. 3.), vel praesentia Domini liberetur (*l.* 10. 11.), nisi & his casibus periculum sit in mora (*l.* 12.): tenetur & adversario judicati, si in rem suam egit, si se obtulit sciens cautum non esse (*l.* 61.). Oritur hinc 2) *obligatio adversarii*, ut cum Procuratore, velut Domino, judicio congrediatur (vide tamen *l.* 29. 43. §. 5.), si, quum pro actore est, de rato caveat (*l.* 39. §. 1.), nisi sit ex li-

Digitized by Google

liberis, parentibus, fratribus, affinibus, libertis (*l.* 35. *pr. l.* 40. §. 4.), aut Dominus rata se habiturum gesta ejus testetur (*l.* 65.); aut si pro reo, judicatum solvi (*l.* 39. §. 4.). Porro mandatum ad finem continet *media necessaria* (*l.* 36. 62.), non tamen generale transactionem (*l.* 60.). Oritur hinc quoque *obligatio adversarii vel fidejussorum* erga Dominum, ut utilem in eos actionem habeat (*l.* 27. §. 2. *l.* 28.), nisi Procurator sit in rem suam (*l.* 36.). Oritur hinc 3) *obligatio principalis erga Procuratorem* mandati (*l.* 42. 46. §. 5. 6.), nisi Procurator qui non est in rem suam ex necessitate (*l.* 33. §. 5. *l.* 34. adde *l.* 79.) defendere recusavit (*l.* 33. §. 4. *l.* 55. *pr.* §. 2. in primis *l.* 43. §. 4.) *Defendere* potest quivis (*l.* 34. §. 2.), convenibilis facile (*l.* 54.), cum tuto effectu (*l.* 51.) absentem (*d. l.* 34. §. 2. *l.* 64.), si de rato caveat (*l.* 39. §. 7. *l.* 40. §. 2. *l.* 76.), & satisdet judicatum solvi (*l.* 28. 46. §. 2. *l.* 53. 76.); posterius si fecit, etiam cogitur defendere (*l.* 43. §. 5.): nisi intercedat causa, quae alias a Procuratore liberat (*l.* 43. §. 6. *l.* 44.): defendere autem est eamdem vicem cum reo subire (*l.* 35. §. 3. *l.* 51. §. 1.). *Finitur procuratio* excusationibus Procuratoris, de quibus supra; a Domino vero libere ante litem contestatam (*l.* 16.), tum aliis modis, tum si alium postea, vel simul in solidum praevenientem dedit (*l.* 31. §. 1. *l.* 32.); lite contestata non nisi decreto Praetoris, ob eas causas, quibus alias se Procurator excusat; item ob

su-

Digitized by Google

ſuſcipionem (*l.* 17. *ſeqq.* uſque ad *l.* 27.): plane autem removere Procuratorem non poteſt, ſi in rem ſuam eſt, vel retentionis jure utitur (*l.* 25.).

§. 58. Ex Codice delegimus titulum 50. *lib.* 6. de Caducis Tollendis, & rerum difficultate, & multiloquentia Juſtiniani oneratum. Hujus nucleum (reliqua enim verborum ſunt cortices) ſic extraximus. *Si relicta a defuncto* (§. 14.) *deficiant*, id eſt, fiant impoſſibilia, morte nempe honorati, vel defectu conditionis; nam quae ab initio ſeu tempore teſtamenti conditi talia ſunt, pro non ſcriptis habentur; fit hoc vel vivo teſtatore, quae olim *in cauſa caduci* eſſe, vel mortuo, antequam dies relicti cedat, quae proprie *caduca* dicebantur: jure veteri dies cedebat non niſi apertis tabulis (haec ex §. 2.), aſt Juſtinianus conſtituit, ut morte teſtatoris, niſi quod in diem incertam relicta, cedant exiſtente demum die (§. 7.). *Hereditas* eorum qui ſui non ſunt (§. 5.) & libertates (§. 6.) *aditione*, quam Juſtinianus & ante apertas tabulas admiſit (§. 1.) Ceterum jure veteri lege Papia Poppaea ſub Auguſto *caduca* redigebantur in fiſcum, exhauſto bellis aerario (*pr.* §. 1.): ſed Juſtinianus, quae *pro non ſcriptis*, *in cauſa caduci*, & *caduca* dicebantur, omnia juſſit ad ſubſtitutum vel conjunctum venire (§. 3. 4. 5.); ad ſubſtitutum & verbis conjunctum & coheredem cum onere (§. 11.) perſonae, non affixo, ſed vicarii patiente

tiente (§. 9.), ad coheredem vero & neceſſario ſi coheres eſſe velit, & pro portione non ut alias virili (§. 11.), ſed hereditatis (§. 10.); ad re conjunctum ſine onere (§. 11.), ſed praefertur ei verbis conjunctus (§. 10.); His deficientibus manent apud eum, a quo relicta ſunt (§. 8.); & hoc quoque deficiente, demum cedunt fiſco (§. 13.)

§. 59. Ex Novellis contraximus tertiam de Monachis. *Monachus* eſſe quivis poteſt, ſi triennium in Monaſterio fuerit ſine veſtitu Laicus, ut appareat an ipſi Monaſterium, & contra, placeat: ſed ſervum ob ſcelera in Monaſterium fugitivum Dominus retrahere hoc tempore poteſt (*c.* 2.) Triennio elapſo Monachus *eſſe incipit*, & bona, quae quis tum habuit, fiunt Monaſterii (*c.* 6.), ita tamen ut quarta ad liberos perveniat. (*c.* 5.) *Monaſterium* aedificatum ſic conſecrabitut: Epiſcopus tollat manus ad coelum, locumque oratione & ſigno crucis conſecret (*c.* 1.). Monachi coenobiorum unum habeant *cenaculum* & *dormitorium* (*c.* 3.). *Abbas* ex Monachorum grege ab Epiſcopo eligatur (*c.* 9.). Monachus *eſſe deſinit*, qui voluntarie redit in ſaeculum; ſed poenae loco inter officiales judicis provinciae ſtatuetur (*c.* 6.): item qui uxorem ducit, quod ei licet; qui cantoris, & lectoris gradum non exceſſit; ſed poenae loco ab officiis & militia excludetur (*c.* 8.) *Tranſitus* autem de Monaſterio in Monaſterium plane prohibetur (*c.* 17.).

Digitized by Google

§. 60. *Paratitla* ſunt ſyſtema legum ad eamdem materiam pertinentium ex variis titulis contractarum. Talia *paratitla* non habent ſummae rationem, ſed ipſis interdum legum libris magnitudine non cedunt; ſuntque aut *univerſalia*, aut *particularia*. *Univerſalia* ſunt, quae ex toto corpore juris ſunt, qualia pauca eſſe arbitror. Omnium tamen maxime quadrant huc *Hug. Donelli* Commentarii Juris Civilis, & *Nic. Vigelii* Methodus Juris Civilis, utiliſſimus liber & ordinatiſſimus. *Particularia paratitla* ſunt *VVeſembecii*, *Cujacii* ſuper Digeſta & Codicem ſeparatim, & diligentiſſimum *Mejeri* Collegium Argentoratenſe ſuper Digeſta tantum, quod tamen non minimam partem Vigelii vitula exaratum eſt. In Codicem habemus *Pereſium*. VVeſembecio *Bachovius*, *Habniusque* ſupplementa adduxerunt. Nolo enumerare innumerorum prope ſimiles curas; quia eos tantum nominare certum eſt, quibus utendum ſuaſerim.

§. 61. Sequitur *interpretatio ſolitaria* ipſius textus, cujuslibet pro ſe, ſeu commentarii. Tales ad Inſtituta ſunt innumerabiles vel freto danico ſternendo ſuffecturi: commendantur *Hottomannus*, *Balduinus*, *Bachovius*, *Vinnius*, *Ludvellus*; ſed ſi verum amamus, recte *Cujacius*, Inſtitutiones vix interprete indigere, niſi breviuſculo marginali & mere textuali adnotatore; quemadmodum parvula editione, tum *Criſpini* & *Pacii*, tum etiam *Arnoldi Vinnii* factum eſt.

§. 62.

Digitized by Google

§. 62. Super Digesta Codicemque habemus grandes commentarios veterum, *Bartoli*, *Baldi*, *Jasonis*, *Decii* &c., in quorum stercore multa latent aurea sagaci ingenio eruenda. Restaurata eruditione prodiere adnotata *Budaei*, *Zasii*, *Duareni* ad pleraſque leges. *Cujacius* alia via collegit in unum unius alicujus Jurisconsulti responsa, & super eum commentatus est, ut super Paulum, Papinianum, Modestinum &c. Posteriores raro sunt textuales, sed vel *paratitlis vel controversiis* exercentur, nisi quod nuperrime Dn. *Brunnemannus* v. cl. egregio diligentiae exemplo omnes Codicis leges ordine est persequutus, idemque in Digesta promittit. Ceterum effecit diligentia *Dion. Gothofredi*, viri immensorum in Romanam Jurisprudentiam meritorum, quod de eo elogium est *Casp. Barthii*), ut commentariis novis textualibus vix indigeamus: illic enim pleraque tum glossatorum commentatorumque veterum, tum eruditissimorum superioris aevi hominum observata mirabili diligentia congessit. Unde non tam decebat novos commentarios cudi, quam supplementa mitti Gothofredo ex Jurisconsultis in primis hujus saeculi, quod & in batava editione corporis Gothofredi factum titulus promittit. Sed nec illud laudo, quod aliorum observationes novis Gothofredi inseruntur editionibus; ita enim aut priores fiunt inutiles, aut posterior habenti priorem non emitur. Decebat potius, ad imitationem

Digitized by Google

Florum Sparſorum *Hug. Grotii*, ſeparatim, velut ſupplementa Gothofredi, ordine textuum imprimi, quae in eo non exſtent. Antequam hinc abeam, obſervandum eſt, quum in ceteris theologi nos vicerint, Dion. Gothofredum effeciſſe, ut aliquando ſaltem ſuperiores ſimus: neque enim tales perpetuas marginales ad Scripturam notas tam plenas ſimul & breves umquam habuerunt. Incepit aliquid in Nov. Teſt. *VValaeus*, ſed multum a fine abeſt. Sed contra habent illi *Biblia numerata*, ex quibus in primis manuſcripta dorſcheana in multorum hodie manibus verſantur: nos vero *leges numeratas*, id eſt, in quibus ſingulis adnotentur auctores, qui eam legem, vel titulum, vel librum explicuerunt, nondum habemus; niſi quod magnus vir Dn. *Marci*, Cancellarius Martisburgenſis, & ſenior ſcabinatus lipſienſis, *Codicem numeratum* poſſidet.

§. 63. *Interpretatio* autem alicujus textus eſt vel *realis*, vel *textualis*. *Realis* eſt, quae elicit certas propoſitiones ex lege, eaſque abſolute tractat, *probando & obiiciendo*, *objectioneſque ſolvendo*, ſi ita videtur: illic legem offenſive, hic defenſive propugnant. *Probatio* fit per *auctoritates & rationes*. *Auctoritates* ſunt leges aliae ſeu loca parallela, item opiniones doctorum, tamquam auctoritates univerſales: particulares ſunt hiſtoriae, ſeu res judicatae in variis dicaſteriis, quo pertinent & conſilia. *Objectio* fit iiſdem modis; leges autem obſtantes in ſpecie con-

Digitized by Google

conſtituunt antinomiam. *Rationes* utrobique pro & contra variae ſunt.

§. 64. *Interpretatio textualis* eſt κατὰ πόδα (*a*) ad legis verba; & vel *totalis* ad totam legem, vel *partialis* ad ſingula verba. *Totalis* agit de connexione legis cum aliis legibus, ſumma & partitione legis, de auctore & hiſtoria legis, & occaſione qua lata eſt. Quo pertinet *inſcriptio* & *ſubſcriptio*, quarum illa auctorem, haec locum & tempus complectitur. Ad hiſtoriam pertinet & enarrare, quid ea lege profectum ſit, quamdiu duraverit, quid alioqui circa eam notabile acciderit, quomodo aliquis veterator ea callide ſit abuſus. Quo pertinent alia memorabilia: v. g. ubi in legibus recenſentur tria juris praecepta, *honeſte vivere*, *neminem laedere*, *ſuum cuique tribuere*, adnotari poteſt acutum illud dictum Barclaii in Euphormione, *maliri ſe*, ille ait, *catalogum legum abrogatarum, in quibus has tres primo loco poſiturus ſit*: item ubi in legibus dicitur, *licere ſervo in corpus ſuum ſaevire*, ex quo nonnulli probare volunt autochiriam jure Romano eſſe licitam; ibi adnotari poteſt, inſignem aliquem virum Noribergae non multis ab hinc annis theologo moerorem ſuum melancholicum ſolanti objeciſſe textum hunc, & licentiam αὐτοχειρίας (*b*) probare voluiſſe, quumque theologus nihil ad textum reſponderet, ſed aliud jure divino & naturali dictari diceret, confirmatus

(*a*) *Omnino accedendo.*
(*b*) *Caedis ſui ipſius.*

Digitized by Google

ille in ſententia, mortem ſibi paulo poſt conſcivit.

§. 65 Et haec de *interpretatione totali. Partialis* conſiſtit *in textu conſtituendo, & conſtitutum explicando. Conſtitutio textus* abſolvitur variis lectionibus, & arte critica in ſpecie ſic dicta; de qua inſignis exſtat commentatio *Scioppii*, in qua regulae traditae ſunt conſtituendi textus. *Conſtituti explicatio* eſt vel per aliam linguam neceſſario ſeu verſionem, vel per quamlibet. Verſio legum noſtrarum graeca ad interpretationem multum facit; graeci enim paraphraſtae & ſcholiaſtae vetuſtiora noſtris exemplaria habuere, hiſtoriaſque legum accuratius pernovere: unde verſio Inſtitutionum *Theophili* valde commendatur. *Baſilica* vero ſunt graeca quaedam reliqui juris verſio; ut de Novellis nihil dicam, quarum textus originalis eſt graecus ex quibus collectae ſunt Authenticae per *Irnerium*, ut vulgo putant; ſed contrarium oſtendit magnus Juriſconſultus Dn. *Joh. Strauchius* in diſſ. Irnerius non errans, quam *VViſembechii* erroribus Irnerii oppoſuit. Germanicam juris verſionem dudum moliti ſunt egregii viri, & promovit valde inſtitutum Erneſtus Princeps Saxo Gothanus, pietate ac prudentia inclytus: difficilis labor, in primis in Digeſtis ob inimitabilem prope ſtyli in tanta ſimplicitate brevitatem. Sed quoties velociſſimos hiſtoricorum eoſdemque acutiſſimos ſententiis Salluſtium ac Tacitum, non incommode Germanos factos cogito; apparet

rem

Digitized by Google

rem vaſtam magis quam arduam eſſe, praeſertim quum terminos juridicos latinos pleroſque ſatis bene germanicis expreſſerint Speculum vetus Saxonicum & Suevicum, Receſſus Imperii, & hodiernus curiarum ſtylus. Et ſcio in celeberrimis quibuſdam dicaſteriis ſtudio caveri, ne qua ſententiis vox latina inſeratur.

§. 66. *Interpretatio per linguam quamlibet*; ſive eamdem ſive diverſam, vel ſenſum explicat, & dicitur *paraphraſis*, vel artes dicendi ad verba applicat, & dicitur *analyſis*. *Paraphraſis* ita ſe habet ad orationem, uti definitio ad vocem neque enim ad *paraphraſin* ſufficit, ut fiat per verba ſynonyma, niſi fiat per clariora. Huc pertinet inter alia *caſus formatio*, ob quam *Accurſius* merito commendatur. Ceterum praecepta verum ſenſum eruendi (hic enim potiſſimum eſt *exegeticae juriſprudentiae* finis), diffuſa ſunt admodum, de quibus diligentiſſime *Juſtus Braven* in Commonefactione Logica per *Gerb. Boddenium*, & *Bernard. Goſmannum*, Roſtochiae edita; ubi ſub ſpecie tradendae logicae nihil aliud, quam ars hermeneutica, ſpecialiſſime, ſed breviter nimis ac ſine exemplorum luce deducitur. De eadem re accurate admodum auctor anonymus arminianus, ut videtur, in Philoſophia Scripturae Interprete nuper in Belgio edita. Nec ſpernenda, quae *Steph. de Phedericis* in lib. de Ratione Interpretandi Leges, & *Alciatus* in libris de Verborum Sign. tradidere. Conſulentur quoq.; non inutiliter *Rhetores*, ubi

Digitized by Google

de genere judiciali περὶ ῥήτ. καὶ διανοίας, περὶ ἀντινομίας (a), aliisque locis affinibus, docent.

§. 67. Mihi breviter hermeneuticae totius fons sic aperiri posse videtur. *Paraphrasis*, ut diximus, est ita ad orationem, uti definitio ad vocem. Ad faciendam igitur *paraphrasin* seu ad interpretandum, ponantur primum omnium vocum definitiones: quumque una vox possit esse homonyma, seu habere definitiones varias; tentetur cum quibus combinari possit, seu quot fieri possint combinationes definitionum in unam *paraphrasin* utiles, seu quarum singulae possibiles sunt: inutiles reiiciantur. Ut vero hactenus retentis verae eligantur, fiat porro combinatio cum verbis antecedentibus & consequentibus, locis parallelis, historia, loco, tempore ratione; quia in dubio auctor, nisi alia id probent, praesumitur non errasse: & si auctor est sacer, certum est eam interpretationem reiicendam, quae cum ratione & historia, seu cum veritate pugnat. Fiat item, & quamprimum quidem, applicatio ad mentem auctoris, affectus, ingenium, voluntatem: v. g. *prudens, non praesumitur ineptum aliquod & frustraneum neque exitum habens, in testamento constituisse:* unde semper actus interpretandus, ut valeat potius, quam infirmetur. Item interdum mens est auctoris obscure loqui, explicate interdum: obscure

(a) *De litt. & sent., de legum inter se repugnantia.*

Digitized by Google

ſcuro v. g. dedita opera loquebantur oracula; veteres pythagorici, auctores aenigmatum, philoſophi chymici: quoties hi explicandi ſunt, fugiendus ſenſus obvius. Attendatur item ad accentum loquentis, manum ſcribentis: Quod ſi vero his complicationibus fiat, ut nulla denique *paraphraſium* tolerari poſſit, ibi neceſſe eſt tranſponi litteras, & quaecumque ſunt artis ſteganographicae vel cryptographicae praecepta obſervari, an corruptus ſit textus vel diſtinctio, an non voces traiiciendae, an non aliquae omiſſae vel ſuperfluae; adhibendique alii tropi ſeu immutationes probabiles & poſſibiles non jam dictionis, ſed orationis. Quod ſi jam nulla *paraphraſis* ſeu ſenſus eſt tolerabilis, oratio dicitur obſcura; ſi vero multae ſimul, ambigua: plerumque tamen una aliqua ex combinationum cum circumſtantiis capite eſt probabilior. Ex quo patet breviter, fontem hermeneuticum eſſe duplicem, 1) *combinationem variarum cujuſque dictionis, phraſeos, commatis, periodi inter ſe & cum circumſtantiis*; ut appareat, quae poſſibilis, & ſi plures poſſibiles, quae probabilior: 2) *ſi vero nulla tolerabilis ſignificatio illa combinatione emergat, levem ac probabilem immutationem ſeu tropum orationis interpretandae.*

§. 68. *Analyſis* eſt applicatio regularum alicujus ex artibus dicendi ad orationem praeſentem; eſtque *Grammatica*, *Rhetorica*, *Logica*. *Grammatica* voces in ſe, earum orthogrophiam, pro-

prosodiam, etymologiam, syntaxin, distinctiones ad syntaxin pertinentes, ejusque velut signa, uti accentus signa sunt prosodiae, persequitur. Voces autem in se quum considerat, enarrat earum significationem, derivationem, apposita, epitheta, opposita, synonyma, periphrases (vid. supra §. 43. 44. 45.). *Analysis rhetorica* est troporum dictionis, orationis schematum, omniumque, de quibus supra (§. 46.), motorum item affectuum. *Analysis logica* est occurrentium definitionum, divisionum, propositionum, syllogismorum, ordinis, & singulorum non solum ratione inventionis seu locorum, ex quibus sumpta sunt, sed & ratione judicii seu maximarum, ad quas exigenda sunt, consideratio. Non mirandum est, hic quaedam recurrisse supra in philologia juris monita; quia illic ex variis textibus colliguntur, hic ad unum textum adnotantur. Quemadmodum in Antinomico colliguntur omnes antinomiae, in singulis tamen textibus fusius & separatim solvendae, ut ex illo in textum saltem digitus intendi possit. Et ita in universum in philologia juris & philosophia aequum est loca legum saltem allegari & colligi, non vero singula fuse tractari, quod ipsi textui reservandum.

§. 69. Ita omnes *interpretationis* fontes breviter, sed dilucide, ut spero, & profunde (claritate enim & altitudine fontes commendantur, magnitudo ex iis vel lacus vel amnes efficit)

Digitized by Google

ficit) aperuimus, iisque, ut spero, facem praeluximus, qui philosophia levius tincti ad textum aliquem explicandum, ut academiarum mos est, accedunt; nam vulgare carmen,

Praemitto, scindo, summo, casumque figuro
Perlego, do causas, connoto, & obiicio,

quo in textibus explicandis vulgo utuntur, in nostram methodum resolvitur. *Praemitto* pertinet ad interpretationem textualem totalem (§. 63.), *scindo* ad analysin logicam (§. 67.), *summo* est species interpretationis simultaneae (§. 53. *seqq.*), *casum figuro* ad paraphrasin (§. 65. 66.), *perlego* ad analysin grammaticam, rhetoricam (§. 67.), *do causas* & *obiicio* ad principalem textus propositionem, *connoto* ad secundarias ex textu propositiones, utrobique interpretatione reali (§. 62.). Nunc admoneamus coronidis loco, quando quibus ex his fontibus utendum sit: & arbitror *analysin logicam*, *grammaticam*, *rhetoricam*, tum demum quum aliquod singulare & observatu dignum occurrit, adhibendam; nam specialior omnium analysis ad informationem puerorum pertinet, qui vulgaria etiam grammaticae, logicae, rhetoricae praecepta adhuc imbibere debent. Et optandum, ut illi, qui Jurisprudentiae praeparantur, etiam grammaticam, logicam, rhetoricam ex libris juris discerent; theologi ex Bibliis Castellionis, libris ecclesiae cujuslibet symbolicis; medici ex Galeno, Celso & recentioribus quoque, quia & illorum stylus spernendus non est. De *interpretatione reali* di-

stin-

Digitized by Google

ſtinguendum: vel enim commentarius ſcribitur ſuper textum tantum, v. g. *Beuſt.* ad l. admonendi de Jurejur., *Del Rio* ad l. tranſigere, *Jac. Gothofredi* ad l. Rhodiam de Jactu, *Richieri* ad auth. habita, C. ne Filius pro Patre; quo caſu permiſſum eſt ob inopiam alioqui dicendorum effundere ſe in materiam, quae in textu continetur, eamque abſolute & realiter tractare: talem interpretationem quondam dicebant *ſolemni apparatu* factam: vel commentarius ſcribitur ſuper totum librum, quo caſu propter multitudinem alioqui dicendorum tantum permiſſum eſt propoſitiones ex textu elicere, & controverſias, quae occaſione textus moventur, adnotare. Sed ratione propoſitionum permiſſa eſt tantum probatio per locorum adductionem, & defenſio per locorum obſtantium ſolutionem. Ratione vero tam propoſitionum, quam controverſiarum licitum eſt interpreti tantum remittere lectorem ad auctores, qui quaeſtionem abſolute, & realiter tractarint; exceptis controverſiis de ſenſu legis, quae proprie ad munus interpretis ſpectant, & ab eo accurate ſunt pertractandae. Antinomiae ſolutio fiat ad eam legem, quae inter pugnantes maxime obſcura eſt, & ſedes difficultatis; in altera fiat tantum ad illam remiſſio.

§. 70. Ita tandem *Juriſprudentiae exegeticae* pelagus emenſi ſumus; ſed videmur nobis ad fretum gaditanum perveniſſe, ubi ex mediterraneo mari in Oceanum tranſitus panditur: *Juriſ-*

Digitized by Google

riſprudentia enim *polemica* ita infinitum diffuſa eſt, ut exhauriri non poſſit; novi enim quotidie caſus emergunt. Interea danda Jurifconſulto opera eſt, ut cognitas ſaltem regiones luſtret, id eſt, caſus jam ventilatos colligat & decidat: ita quum ad nova littora tempeſtate deferetur, id eſt, in novos caſus incidet, ope magnetis, id eſt, Juris naturalis, facile ſe explicabit.

§. 71. Dicemus autem tum de *principiis decidendi*, tum de *collectione deciſionum. Principia decidendi* ſunt ratio ex jure naturae, & ſimilitudo ex jure civili certo: nam ſi accurate rem conſideremus, omne jus civile magis facti eſt, quam juris; quia probandum eſt non ex natura rerum, ſed ex hiſtoria ſeu facto: probandum enim eſt legem eſſe promulgatam, conſuetudinem introductam; deinde probandum etiam eſt, qui legem tulit, ejus rei poteſtatem facto & pacto ſibi adquiſiviſſe. Unde patet, legem ex conventione populi valere (*a*). Quumque certi juris ſit, in iis, ubi pactum non intereſſit, obtinere jus merum; patet in iis caſibus, de quibus lex ſe non declaravit, ſecundum jus naturae eſſe judicandum; quemadmodum in caſu ceſſantium ſtatutorum judicatur ſecundum jus commune. Si obſervarent hoc deciſionarii, facilius ſe extricarent: verum illi ad ſimiles potius materias jure civili deciſas reſpiciunt, &

ex

(*a*) *In democratia & ariſtocratia, ex Principis placito in monarchia.*

Digitized by Googl

ex illis ad has argumentantur, quae res illi magnam perplexitatem parit; ſunt enim plures uni ſimiles, & unus ad hanc, alius ad aliam ſimilitudinem confugit: ideo tutius arbitror, referre ſe ad merum, immutabileque jus naturae. Et perinde mihi videtur, ac ſi quis, quae in ſtatutis paſſim de equorum evictione placuerunt, velit & ad aſinos trahere; ad mulos tamen trahi an poſſint, dubium eſt, & puto non poſſe: mulus enim magis eſt aſinus quam equus; quia partus ſequitur ventrem, mater autem eſt aſina. Confugiendum tamen nonnunquam ad alias leges civiles ſimiles, vel *ex verbis*, vel *mente legislatoris*. *Ex verbis*, quando legislator vel *ſemel in univerſum*, vel *in certa materia* declaravit ſe hoc velle. *Semel in univerſum*, v. g. in jure Saxonico longa conſuetudine dicaſteriorum receptum eſt (qui mos valet pro lege) caſus dubios decidendos potius ad ſimilitudinem aliarum legum Saxonicarum, quam juris communis. *In certa materia*, v. g. jure civili cautum eſt, ut quae de viris dicuntur eadem de feminis intelligantur, niſi ſingularis lex vel ratio impediat. *Ex mente legislatoris*, quoties eadem ratio ſubeſt: v. g. jus Saxonicum vetus dicit, *der pfaff nehme gerade*: quaeritur jam, an Canonici ſumant *geradam*, qui proprie non poſſunt dici *pfaffen*; quia eos Sacramentum Ordinis accipere neceſſe non eſt; & reſpondendum eſt; ſumere illos quoque per rationem legis; quia *gerada* in compenſationem

iis

Digitized by Google

iis data eſt, qui non ſunt capaces ſuppellectilis caſtrenſis, *des heergeraethes*, quales ſunt feminae & Eccleſiaſticae perſonae; Canonicis enim interdictum bellum eſſe inde patet, quia effuſo ſanguine humano contrahitur irregularitas; qua tollitur praebenda. Quum igitur duo ſint *principia decidendi*, jus naturae & lex ſimilis, & a materia una ad aliam valere argumentum, quoties ſiluit legislator, non aliunde conſtet, quam ex ſimilitudine rationis, ratio autem legis pendeat ex politicae illa parte, quae dicitur nomothetica; apparet Juriſconſulti in dicaſterio ſedentis duos oculos eſſe *ſcientiam juris naturalis*, & *ſcientiam nomotheticam*: quemadmodum caſus jam tum deciſi per *hiſtoriam* retro actorum, & *exegeſin* legum cognoſcuntur, de quibus ſupra.

§. 72. *Juris naturalis* non minutiſſima quaeque, ſed principia tantum perſequemur, eaque primum ex ſententia aliorum, deinde & noſtra. Alii qui circa jus naturae philoſophati ſunt, videntur eſſe hi potiſſimum, *Plato*, *Ariſtoteles*, *Epicurus*, *Cicero*, & temporibus recentioribus *Hugo Grotius*, *Sforția Pallavicinus*, *Th. Hobbes*, *Joh. a Felde*, *Rob. Scharrok*. *Plato* paſſim Juris fundamentum ſtatuit τὸ κοινῇ συμφέρον (*a*). In libris de Republica Thraſymachus diſputat, juſtum eſſe potentiori utile. *Ariſtoteles* & cum eo *Stoici* ſtatuere juris naturae eſſe fundamentum naturae convenienter vivere; & quidquid naturae

(*a*) *Publicam utilitatem*.

Digitized by Google

rae rerum, id eſt, ſtatui earum optimo & perfectiſſimo conveniat, id juſtum eſſe: *Epicurus* ſtatuit juris naturae eſſe, qudquid mihi revera utile, quidquid nempe producit voluptatem animi & tranquillitatem mentis. *Cicero* in libro de Officiis & alibi, eo in primis utitur fundamento, neminem ſibi ſoli natum, partim patriam, partim parentes, partim amicos ſibi vindicare.

§. 73. Recentiores ita tradunt. *Hugo Grotius*, juris naturae eſſe, quidquid convenit cum natura ſocietatis ratione utentium, ſeu quidquid cum ſocietate compatibile eſt: ſumit igitur quod ab Hobbio negatur, hominem eſſe natura ſocialem *Sforzia Pallavicinus* in libro eleganti de Bono, poſt multas diſceptationes ita ſtatuit, juſtum eſſe quidquid naturae placet: naturae autem nomine intelligit principium motus & quietis in mundo, quod neceſſe eſt ſapiens eſſe, quia motus tam pulcher ordinatusque eſt. *Th. Hobbes* in ſubtiliſſimis de Cive Elementis ſic procedit: Statum hominum eſſe vel extra ſuperiorem, vel ſub ſuperiore ſeu in civitate; illic eſſe jus merum omnium in omnia ſeu jus belli: ſed quum ſtatus belli ſit exitioſus, teneri quemlibet ſana ratione duce, ut ſe diſponat ad pacem ſeu ſtatum in una civitate, quantum in ſe eſt: conſtituta autem civitate, ſimpliciter juris eſſe quidquid civitati placuit, neque aliud ibi naturae jus obtinere. *Joh. a Felde* in Elementis Juriſprudentiae principia Ariſtotelis reduxit & expolivit. *Rob. Scarrok* in lib. de Officiis ſecundum

dum Jus Naturae ita arbitratur, ſummum bonum cum Epicuro eſſe voluptatem animi, peccata autem ideo fugienda, quia ſunt contra voluptatem animi, eſſe enim velut verbera incorporalia; unde κριτήριον (*a*) injuſtitiae eſſe, ſi quid animo quodammodo repugnante fiat. Putat igitur, Deum ſic creaſſe animum noſtrum, ut naturalis quaedam inter ipſum, & ea, quae peccata dicuntur, ſit ἀντιπάθεια (*b*).

§. 74. Hos facile inter ſe conciliabimus, explicata noſtra ſententia. Scilicet *juris naturae* tres ſunt gradus, *jus ſtrictum*, *aequitas*, *pietas*, quorum ſequens antecedente perfectior, eumque confirmat, & in caſu pugnantiae ei derogat. *Jus ſtrictum* ſeu *merum* ex terminorum definitione deſcendit, & eſt, ſi recte expendas, nihil aliud quam jus belli & pacis; nam inter perſonam & perſonam tamdiu eſt jus pacis, quamdiu alter non incepit bellum, ſeu laeſit. Inter perſonam autem & rem, quia res non eſt intelligens, perpetuum eſt jus belli; & licet leoni hominem diſcerpere, & monti hominem ruina opprimere; contra homini frenare leonem, perfringere montem: victoria autem perſonae ſuper rem reique captivitas, dicitur poſſeſſio. Poſſeſſio igitur dat perſonae jus in rem jure belli, dummodo res ſit nullius: nam ſi res eſt alicujus, non magis illam

 lae-

(*a*) *Certam regulam.*
(*b*) *Repugnantia ob contrariam affectionem.*

Digitized by Google

laedere, aut auferre licet, quam alterius ſervos occidere, aut alterius perfugas recipere. Si igitur alterum alter vel in perſona, vel rebus ſuis laeſit, dat ei jus quod habet in rem, ſeu jus belli. Eſt autem & inter laeſionis ſpecies deceptio pernicioſa, qua damnum datur menti, ex quo deſcendit ſervandorum promiſſorum neceſſitas. Ex quo patet *juris naturae meri* unicum praeceptum eſſe, *neminem laedere*, ne detur ei jus belli: huc pertinet juſtitia commutativa, & jus, quod *Grotius* vocat facultatem.

§. 75. *Aequitas* ſeu aequalitas, id eſt, duorum pluriumve ratio vel proportio, conſiſtit in harmonia ſeu congruentia; & coincidit cum principiis *Ariſtotelis*, *Grotii*, & *Feldeni*. Haec requirit, ut in eum qui me laeſit, non bellum internecinum inſtituam, ſed ad reſtitutionem arbitros admitti; quod tibi nolis, alteri non faciendum; item ut puniatur non tam imprudentia, quam dolus & malitia; item ut infirmentur contractus ſubtiles, & circumventis ſubveniatur. De cetero *jus ſtrictum* obſervari ipſa *aequitas* jubet. Huc pertinent *Hobbii* diſpoſitiones ad pacem. Sed *aequitas* dat ſolum jus laxe dictum, ſeu, *Grotii* ſtilo, aptitudinem uni, alteri vero obligationem plenam: v. g. aequum eſt, ut qui doloſis ſubtilitatibus ſe a meo debito liberavit, mihi nihilominus teneatur: ſed mihi non datur in eum actio perſequendi; actio enim, vel exceptio, vel quaecumque poſtulatio ex *jure mero* deſcendit, niſi aliquid lex addat: ille tamen-

Digitized by Google

tamen est obligatus, ut mihi det. Hinc illud praeceptum, *suum cuique tribuere.* Sed lex aut superior dat aequitati exitum, & ex ea nonnunquam actionem vel exceptionem tribuit.

§. 76. Tertium juris principium est voluntas superioris. Et huc quae Trasymachus apud *Platonem* supra dicebat, justum esse potentiori utile. Superior autem est vel natura Deus, ejusque voluntas iterum est vel naturalis, hinc pietas, vel lex, hinc jus divinum positivum; vel superior est pacto & facto, ut homo, hinc jus civile. *Pietas* igitur tertius est gradus *juris naturae* tribuitque ceteris perfectionem & effectum: nam Deus, quia omniscius & sapiens est, *jus merum* & *aequitatem* statuit & confirmat; quia omnipotens, exequitur. Hinc coincidit utitilitas generis humani, immo decor & harmonia mundi cum voluntate divina. Ex hoc principio jam ne bestiis quidem & creaturis abuti licet. Huc reducuntur meditationes *Sforziae Pallavicini*. Ex hoc fundamento ne se ipso quidem abuti licet, quia nos ipsimet sumus Dei, cui omnipotentia tribuit jus in omnia. Hinc illud praeceptum, *honeste vivere.* Quumque *jus strictum* & *aequitas* careat vinculo physico, Deus accedens efficit, ut quidquid publice, id est, generi humano & mundo utile est, idem fiat etiam utile singulis; atque ita omne honestum sit utile, & omne turpe damnosum: quia Deum justis praemia, injustis poenas destinasse, ex ejus sapientia constat; & quae destinavit, perfecturum, omnipo-

Digitized by Google

tentiae ratio evincit. Exiſtentia igitur entis alicujus ſapientiſſimi & potentiſſimi, ſeu Dei eſt *juris naturae* fundamentum ultimum; quae a nobis mathematica certitudine demonſtrata quum prodibit in publicum, disjectura eſt penitus nebulas ab atheis veritati offuſas.

§. 77. Alter Juriſconſulti in caſibus decidendis oculus eſt *nomotheſia*, cujus principium utilitatis Reipublicae, quae ita eſt ad Rempublicam, uti *pietas* ad mundum & Rempublicam univerſalem. De *nomotheſia* praeclare diſſeruere *Hopperus* in Seduardo, *Conringius* tum in praefatione Hopperi, tum in Civili Prudentia & Propolitico. Conſiſtit autem ſalus populi, ſupremae Reipublicae lex, in bono ipſorum civium tamquam materiae, & conſervatione regiminis tamquam formae: nam & *Lipſius* duo ait inſpicienda, naturam populi, & naturam regni; quod commmendat *Boeclerus* in diſſ. de Politica Lipſiana. Bonum regiminis conſiſtit in jure publico, & tali ceterarum quoque legum formatione, ut mutatio praecaveatur. Bonum civium conſiſtit in εὐδαιμονί (a) & αὐταρκείᾳ (b) quoniam egeſtas homines non ſolum ridiculo, ut ait Poeta, ſed improbos facit. Ad εὐδαιμονίαν (c) pertinent omnes ordinationes politicae, in primis quibus educatio & converſatio, tamquam principia malorum & bonorum morum

(a) *Bonis animi.*
(b) *Bonis fortunae.*
(c) *Bona animi, ſeu virtutem.*

Digitized by Google

morum, formantur; item praemia virtutibus, poenae vitiis. Ad εὐτάξιαν (*b*) pertinent leges de commerciis, manufacturis, ſumptuariae &c. Ad utramque ſimul pertinent leges, quae jus privatum & judicia formant; nam ſi cuilibet jus ſuum tribuitur, evitantur peccata retinentium, & paupertas amittentium. Danda autem opera, non ſolum ut cuilibet jus ſuum tribuatur, ſed & cito, quo pertinent *ordinationes proceſſus*. In his omnibus praeclarae ſunt meditationes *Octav. Piſani* in Lycurgo, qui docuit, quomodo formata converſatione & educatione in ipſa radice poſſint evelli ſcelera; & quomodo, ſi omnia coram Magiſtratu auctoritate publica gerentur, conſignenturque libris publicis, ut Venetiis in banco, poſſint evitari proceſſus. Sed huc perfectionis non veniemus; det tamen Juriſconſultus operam, ut ad eam, quantum poteſt, accedat.

§. 78. Hactenus diximus de *principiis decidendi*, dicamus nunc de *collectione deciſionum*, ſeu *controverſiarum*: ubi facilior res dictu eſt, quam in *exegetica*, ſed difficilior factu: nam non tam multa puncta ſunt, nec tam multi conficiendi libri, ſed quo pauciores, tanto grandiores. *Collectio controverſiarum* eſt, vel *brevis*, vel *diffuſa*. *Collectio brevis* videamus quomodo fieri debeat, & quomodo facta ſit. Fieri debet libro, qui vocari poteſt Breviarium Controverſiarum; quale eſt in theologicis Manuale

(*b*) *Bona fortunae.*

Becani, aut Breviarium *Huſelmanni*. Breviarii Juridici videamus *materiam & formam*. *Materia* conſiſtit in quaeſtionibus 1) *dubiis*; ita excluditur pars didactica, ea nempe quae legibus expreſſe deciſa ſunt: 2) *juridicis*; ita excluduntur philologicae, philoſophicae: 3) *hodiernis*; ita excluduntur abrogatae: 4) rariores quoque *pandectis* infra explicandis reſervantur; ponendae enim hic ſunt illuſtriores, diſſenſionibus nobilitatae.

§. 79. *Forma* conſiſtit in *ordine*, & *modo tractandi*. *Ordo* ſit idem, qui Elementorum (§. 7. *ſeqq.* uſque ad §. 26.), & Inſtitutionum (§. 54.) *Modus tractandi* conſiſtit *in rationibus dubitandi & decidendi*. Utrobique allegentur tantum loca Elementorum & legum, quae vel obſtare, vel pro nobis eſſe videantur: Elementa enim ita comparata eſſe debent more mathematico, ut ex iis omnes quaeſtiones poſſint decidi. Et quemadmodum *Iſaacus Barrovius* in ſua Euclidis editione cantabrigenſi certis ſignis brachygraphicis utitur; ita h. l. ſi argumentum ex texu Elementorum vel legum ſit a ſimili, contrario, cauſa, effectu, genere, toto, parte, alioque loco topico, pro quolibet ſit certum ſignum: ita qui textum evolvet, & ſignum intuebitur, vim argumenti facile perſpiciet, eoque ipſo ingenium exercebit, nec quidquam brevitas ei officiet. Sed haec aliquando exemplo magis & factis, confecto tali Breviario, quam nunc verbis oſtendemus: v. g. pro loco

a con-

a contrario esto signum)(, a simili ( ), a causa O —, ab effectu — O, a genere ⌒, a specie ⌣, a toto ⊃, a parte ⊂. Et quoties duae leges vel duo loca Elementorum conjuncta demum vim concludendi ostendunt, ibi potest adhiberi signum †, v. g. *l.* 20. *D. V. O.* †. *l.* 10. *D. de leg.* Ex auctoribus vero citentur ii tantum, qui quaestionem praeclare tractarunt, & argumenta pro & contra plurima firmissimaque collegerunt; item qui plurimos alios citant.

§. 80. Diximus, quomodo *collectio controversiarum brevis* fieri debeat; videamus, quomodo facta sit. Et sane habemus multorum libros exercitationum, controversiarum, decisionum, resolutionum, quaestionum, disputationum; sed qui scopo nostro accommodati sint penitus, si verum amamus, nullum: nam si quaestiones philologicas, v. g. de origine & usu vocabulorum; historicas, v. g. de titulis Imperatoris Justiniani, de legum auctoribus, tempore, &c.; philosophicas de definitionum, divisionum, methodi rectitudine; physicas & ad factum pertinentes, v. g. de partu octimestri, de notis virginitatis, de purgationibus vulgaribus; item vetustate abolitas, quid Justiniani, Theodosii, Constantini aevo in usu fuerit, demas; saepe dimidius liber & ultra simul auferetur. Quid autem opus tantopere his rebus occupari, quae substantiam juris non ingrediuntur? aut quid opus tantopere abolita

Digitized by Google

jura curare, nisi veremur fortasse, ne aliquando, revoluto anno platonico, sub Arcadio, Honorio, & Justiniano Judices, Assessores, Antecessores, & Advocati fiamus? Quos igitur potissimum commendem, non invenio; eligant, ut cuique placet, *Forsterum*, *Sutholt*, *Ludvvellum*, *Treutlerum* curis Bachovii & Hunnii nobilitatum, Resolutiones ipsius *Hunnii*, *Hackelmanni* Quaestiones Illustres ad allegandos in primis auctores accomodatas. Nihil de *Arumaeo*, *Fomanno*, *Locamero*, ceterisque dicam, continua exscriptione eamdem serram reciprocantibus. Ut taceam, esse auctores plerosque mixtos, ut praecepta, exegesin, historiam, controversiasque conjungant, in quibus cl. *Struvii* Syntagma commendatur. In primis vero cl. viri *Joh. Strauchii* proto syndici h. t. Brunsuicenses Dissertationes placent, quibus ille, deserta methodo Justinianea, naturalem sequutus est, & elementa a controversiis typorum forma separatim. Hunc ego cum *Ludvvello*, ac *Treutlero* maxime suaserim. Nec contemnendus est *Schnobelius* velut Treutleri epitomator.

§. 81. *Collectionem Controversiarum brevem* excipit *diffusa & plena*; eaque iterum tum *qualis facta est*, tum *qualis fieri debet*. *Qualis facta sit*, nimis manifestum est: huc enim pertinent grandes libri Decisionum ex variis dicasteriis, rotis, parlamentis, v. g. Rotae Romanae, Genuensis, Senatus Pedemontani, Tholosani, *Sandaei* Frisicae, *Guil. Grotii* Belgicae, *Molinaei*

Con

Conſuetudines Pariſienſes, *Roÿz* Deciſiones Lithuanicae, *Fabri* Sabaudicae, *Gailii*, *Mynſingeri*, *Gylmanni* Camerales, *Schepliz* Conſuetudines Marchicae, Deciſiones Facultatis Juridicae Lipſienſis in *Sigiſm. Finckelthuſii* Obſervationibus; & Scabinatus Lipſienſis in magni *Carpzovii* Variis: Jenenſium Reſponſa collegit *Richterus*. Huc aliarum facultatum Academicarum conſilia, tubingenſium, ingolſtadienſium, marpugenſium, altorphinorum, & conſilia privatorum: *Pauli a Caſtro*, *M. Ant. Nattae*, *Coleri*, *Klockii*, *VVeſembecii* junioris, *Mundii*: & quis omnes fando comprehendat? Sed verum eſt judicium *Hug. Grotii* praef. lib. de Jur. Bell. ac Pac., auctores Conſiliorum magis ad gratiam conſulentium, quam aequi bonique naturam reſponſa ſua accomodaſſe. Praetereo jam multos alios per omne jus diffuſos, ut opera *Proſperi Farinacii*, *Menochii* Arbitrarias Judicum Quaeſtiones & variorum; communes opiniones, ut *Villalobii*, *Vivii*, eorumque, ex quibus ſuum jus controverſum contraxit *Nic. Vigelius*, unus omnium maxime adhibendus: nec ſpernendus *Petr. Greg. Tholoſanus* in Syntagm. Jur. Univ.

§. 82. In his auctoribus laudabile eſt, quod novos emergentes caſus perpetuae memoriae conſignant, orbemque juridicum continua auctione locupletant; quod non faciunt auctores exercitationum & commentariorum, ſemper veterа ruminantes: quapropter & practico, atque in re-

rum

rum usu versanti, hi parcius legendi, illi diligentissime pervolutandi sunt. Sed desidero ratione materiae, quod immiscent etiam casus pervulgatos, atque aliis dudum decisos, item casus per se manifestos, & ex generalium, quae certi juris sunt, subsumptione mera determinabiles. Deceret potius ad alios auctores tantum supplementa addi, ne inutilibus repetitionibus orbis oneretur, aut, si quid ab iis dissentias, vel novam aliquam rationem, objectionemque habeas id quoque admoneri; non omnia denuo exscribi sumptusque typographis & lectoribus sine necessitate conflari. Ratione formae, ordinem illis optarem, qui vel nullus esse solet, vel non naturalis: nec nimis fuse una quaestio tractanda est, ut faciunt auctores Consiliorum, qui ut tanto grandiorem & pretiosiorem, si Diis placet, laborem suum reddant, in omnibus propositionibus obiter occurrentibus tamdiu distinentur, quam in quaestione principali: unde fit, ut in vulgatissimis certissimisque axiomatibus, textibus, & auctoritate Doctorum stipandis desudent; propositionem vero principalem, & maxime controversam saepe sine ulla probatione relinquant, aut jejunis frigidisque tantum ratiunculis topicis, non accuratis demonstrationibus muniant. Quod jam olim admonuere *Corn. Sumnenhart* in lib. Contract. & *Thomingius* facultatis juridicae Lipsiensis, quondam decanus ordinarius, in sua oratione de Studio Juris. Utinam imitarentur illos, quos toties citant & crepant, Jurisf-

risconsultos veteres, qui pauciſſimis ſaepe lineis magnam argumentorum vim preſſerunt. Ego non dubito, reſponſo aliquo Ulpiani vel Scaevolae vix paginam occupante, noſtros illos bonos deciſionarios ſupra 10. plagulas impleturos. Ab hoc tamen vulgi grege ſe junxit ſe *Anton. Faber* in Codice Sabaudico, egregieque noſtris hominibus praeluxit facem, quomodo ſolide ſimul breviterque diſputari poſſit. Laudabilis quoque & ad veterum Juriſconſultorum dicendi rationem mos eſt, quo facultates ſcabinatuſque Saxonici, Lipſiae in primis, in ſuis conſiliis germanicis (vocant *informat urtheil*) rationes utrimque ſumma brevitate & nervoſitate ventilant.

§. 83. Huc pertinent & tractatus variorum de variis materiis, iiſque vel juris, v. g. de Fideicommiſſis *M. Ant. Peregrinus*, de Mutuo *Salmaſius*, de Pignoribus *Neguſantius*, de Pactis *Alexander ab Exea*, de Matrimonio *Th. Sanchez*; vel de terminis facti, ſed ad jus applicatis, ut de Surdis, Mutis *Michalorius*, de feminis *Carpzovius*, de Molendinis *Hering* &c. Interdum non certum aliquem titulum, ſed aliquid a variis materiis tam juris quam facti abſtractis tractant, uti *Corſetus* de Geminatione, *Joh. Bapt. Coſta* de Retrotractione; ut innumeras id genus diſputationes taceam, quales collectae ſunt in tomos Diſputationum Baſileenſium. Tractatus veteres omnes fere collecti ſunt in Tractatum Tractatuum, vaſtum opus aliquoties editum. Additus

Digitized by Google

ditus est plenus admodum & diligens index; totum unus volumen absolvens: sed desidero nimias repetitiones, dum non nucleus auctorum insertus est, sed integri, quum tamen saepissime inclusi sint plures auctores de eadem materia, quorum unus pleraque cum altero eadem habet. Recordor me in Tractatu Tractatuum aliquando legisse duos de Ludis tractatus, unum *Paridis de Puteo*, alterius nomen non succurrit: horum unus alterum ad verbum exscripserat. Ita fit, ut in certis materiis nimis dives sit opus, in aliis vero pauperrimum. Quare imposuit *Drexelio*, qui ei persuasit, ut ipse narrat in Aurifodina, hoc opus in jure, aliorum librorum omnium instar esse. Operae pretium esset, si reformarentur hi Tractatus Tractatuum, omitterentur aliena, contraherentur varii auctores de iisdem materiis in unum & adderetur nucleus ex plurimis tractatibus de variis materiis interim hoc in primis saeculo editis. Id olim potuisset facile fieri eadem opera, qua index cum summariis contextus est: nunc quoque index ad eam rem multum adjumenti praestare potest. Sunt speciales Tractatus Tractatuum, v. g. Tractatus de Pactis uno volumine editi sunt, item de Testamentis &c. Tractatui Tractatuum Juridicorum apud theologos quodammodo respondent praeter alios celebres Biblia Critica Anglicana, in quibus variorum selecti tractatus theologici ad loca Scripturae sunt collecti. Est & aliud opus juridicum Tractatui Tractatuum non absimile, quod vocatur Repetentes. Angli,

ut audio, moliuntur in Philoſophia curioſa ſimile aliquid, quod inſcribent Bibliothecam Philoſophicam; in quam variorum ſcripta philoſophica, phyſica, mechanica, mathematica, curioſa, ſelectis contemplationibus & experimentis plena compingent. Sed ut ad tractatus juridicos redeam, confectis illis *pandectis juris*, de quibus mox, poterimus tractatibus facile carere; praeſertim quum in iis ſaepiſſime vix dimidia pars ad ipſam materiam pertineat. Legat mihi aliquis ex gr. *Th. Sagittarii* de Comitibus Palatini tractatum mirabor, ſi decimam partem de propoſita materia agere dicet.

§. 84. Diximus de *collectione controverſiarum diffuſa, qualis facta eſt*; dicamus, *qualis fieri debeat*: ubi iterum videamus tum de praeparatoriis, nempe *repertoriis*; tum de ſyntagmate ipſo; quod dicemus *pandectas juris*. *Repertoria* ab aliis varia confecta ſunt: quid nobis videatur, ſubiiciamus. Aliorum conatus quod attinet, exſtat *Brederodii* Repertorium Juris Civilis, tamquam Index legum Juſtinianearum, quem utiliſſimum ſane ad uſum quotidianum miror non recudi. Ex doctorum placitis collectum eſt Repertorium *Bertachini*, & Conclu-ſiones Cardinalis *Tuſchi*. Huc pertinent lexica, ut *Speidelii* Theſaurus, *Reigeri* Loci Communes, *Brunori a Sole* cum additionibus *Jac. Schultes*. Huc pertinet Bibliotheca Juris extruenda magis de novo, quam ab ullo pro dignitate fundata: nam quod olim *Neviſanus*, & *Freg-*

Digitized by Google

Freymonius tentarunt, exiguum admodum & mancum eſt. *Bolduani & Draudii* Bibliothecae Juridicae (illius ſeparata, hujus in Bibliothecam Claſſicam inſerta) ſunt ex catalogis librorum confectae, ubi multi recenſentur libri, neque editi, neque umquam edendi, ova nunquam poſita, *ungelegte eyer* ut ille dicebat. Deinde, quum libros ipſi non adſpicerent, tantum titulos in catalogis, effectum eſt, ut ſaepe, quid in libro tractaretur, non aſſequerentur; ſunt enim tituli librorum haud raro nimis magnifici multumque a materia abludentes. Erant praeterea uterque Juriſprudentiae impetiti; unde etſi liber revera exſtaret, & titulus libro correſponderet, ignorabant tamen, ſub quem titulum in ſua Bibliotheca referrent: unde tutiſſime ſe facturos crediderunt, ſi referrent ſub titulum ab auctore praeſcriptum; ſed revera ineptiſſime egerunt, quia tituli auctorum libris praefixi, ut plurimum ſunt Oratorii magis & pompoſi, quam technici & accurati. Optandum igitur eſſet, ut Bibliotheca *Draudii* Claſſica non continuaretur ſolum (pervenit enim ad annum 1625.), ſed & reformaretur. Continuationem ejus molitus eſt *Meiſnerus*, Torgaviae rector, ſed reformationem addidiſſe non puto; mortuus, opus interruptum reliquit. Bibliothecam Practicam promiſit *Jac. Gothofredus* in ſui Manualis partem practicam adhuc edendam inferturus, ſed nihil aliud, quam promiſit. Miror vero, nullum Juriſconſultorum praeſtitiſſe, quod in ſcripto-

ptoribus medicis *Job. Antonides* Van der Linden, & in Bibliotheca Theologica *Gisb. Voetius*. Promisit tale aliquid *Paul. Bussius* in praefatione Commentarii sui ad Pandectas, sed nec ille fidem suam liberavit. Interea aliquid huc faciunt Vitae Jurisconsultorum Germanorum *Melch. Adumi*. Et haec de *bibliothecis juris*, quibus affines sunt *sedes materiarum*: solebant enim Jurisconsulti sequioris aevi ad certas leges materiam aliquam plene & solemni apparatu tractare; indicem igitur talium habere, operae praetium est, ut quaerendi labor absit. Talis index, sed nimis brevis, insertus est Institutionibus *Julii Crispini*, plenior ordine alphabetico in cl. *VVoldenbergii* Manipulis. Deceret similem indicem apud philosophos condi, ut haec obiter dicam, ut constet, ad quae loca *Aristotelis*, *Magistri*, & *Thomae*, quae quaestiones a commentatoribus ex professo tractentur. Respondent proportione Loca Classica Theologorum. Haec possent in allegando singulari aliquo charactere, vel nota ad differentiam, tam apud theologos quam Jurisconsultos, designari.

§. 85. De *repertoriis* vidimus aliorum conatus; dicamus, quid nobis videatur de *locis communibus juris instituendis*: de quorum videamus *causa efficiente*, *modo causandi*, *materia*, *forma*, *fine* seu usu vel effectu. Differunt alioqui de locis communibus praeclarae *Bartholomeaus Keckermannus*, sed maxime in ordine ad politicam.

Causa

Digitized by Google

Causa efficiens esse debet societas aliqua ex multis correspondentibus conflata; neque enim unius hominis opus est. Quemadmodum igitur, in Italia conspirant Academiae, seu Collegia eruditorum, de quibus vide *Sachsium* in praefatione Ampelographiae, & *Besoldum* in diss. de Universitatibus, Corporibus, Academiis; in Gallia celebre est Collegium illud nobile aliquantisper silens, nunc redivivum, *de l'esprit*; in Anglia Collegium Londinense Medicorum, & nobilis illa Societas Britanica, cui primarii quique totius Regni eruditissimique viri interfunt, ex qua nuperrime prodiit *R. Hooke* micrographia, seu de rebus non nudo, sed armato per microscopium visu spectabilibus; in Germania collegium medicorum naturae curiosorum, nomine *curioso* illi gallico, cujus meditationes in germanicum nuper versae, consonans. Ita decebat & Jurisconsultos per Germaniam, praesertim qui in Academiis otio fruuntur, ad rem tam praeclaram, qualis est index juris universalis, seu *loci communes juris*, conspirare; neque enim facile creditu est, quantum conjunctae vires possint. Hinc Catholicis praeclara edendi, magna commoditas est in libro enim, qui unius hominis nomine prodit, saepe laborant tota monasteria. Ita *Dav. Doringius* Bibliothecam Juris Universalem laudabili magis voluntate quam facto molitus, variorum manibus usus est sed ultra litteram A non pervenit in suo alphabeto.

§. 86.

Digitized by Google

§. 86. *Modus cauſandi* in eo conſiſtit, qua ratione labor inter eos diſtribuendus ſit. Quidam ſtatuere materias alias adſignandas, unum debere omnia colligere, quae ad tutelam & curam alium, quae ad hereditates ab inteſtato, alium, quae ad ſubſtitutiones pertinent &c. nam ita & olim moris fuiſſe in Italia, ut quidam doctor in certa aliqua materia excelleret, in aliis eſſet plane infans: quemadmodum de quodam narrant, qui omnes pernoverit ſubſtitutionum difficultates, in ceteris haeſerit. Et deceret hodie quoque, ut in Academiis profeſſores non ratione librorum juris, ſed ratione materiarum diſtribuerentur: alius haberet materiam ſucceſſionum; alius juris inter vivos, alius criminalia, feudalia, eccleſiaſtica quaſi ſemi publica, alius proceſſum, alius denique inſtitutiones, ſeu ſynopſin omnium. Ego quod ad rationem diſtribuendi profeſſiones, non reprehendo, nam & Medici ſic diſtribuere; ſed in locis communibus colligendis obſtare judico, quod ita ſingulis collectoribus pervolutandi ſunt omnes libri. Decet igitur potius, non materias, ſed libros in eos diſtribui, hac ratione, ut aliis adſignentur auctores veteres Bartolus, Jaſon, Alexander, aliis recentiores, aliis Theorici, aliis Practici, aliis Germani, aliis Itali, aliis conſilia, aliis dicaſteriorum deciſiones, aliis tractatus, aliis commentarii. Adde, quae ſuaſit *Janus Caecilius Frey* in Via ad Scientias & Artes.

§. 87. *Materia* seu *objectum* sunt *auctores*, & quae ex iis *excerpuntur*. *Auctores* adhibeantur ante omnia ii, qui alios solent citare, & allegationibus paginas complere: ex iis allegationes transcribantur, vel saltem ad eos fiat remissio: denique fiat gradus ad eos, qui libros miscellaneos scribunt, v. g. Observationes *Cuiacii*, *Salmasii* ad Jus Romanum & Atticum, *Hottomanni* Quaest. Illustr., Emendationes *Anton. Augustini* &c.; quod enim in his boni reconditum est, non facile apud eos quaeritur. Deinde promoveatur pes ad scriptores tractatistas, & ex iis adnotetur sub titulum quidem materiae, de qua agunt, nihil aliud, quam nomen auctoris, qui de hac materia scripserit; de cetero nihil excerpatur ad illam materiam pertinens, sed ea potius, quae aliena interseruntur. Similiter ex commentatoribus nihil aliud excerpatur, quam sicubi aliquid ad textum adnotant, quod ad eum non pertinet; de cetero adnotetur ad leges numeratas (de quibus sup. §. 62.), quis de eo textu in specie scripserit: nam si ad totum librum scripserit, ad totius quoque libri frontispicium hoc adnotetur.

§. 88. *Forma excerpendi* est, ut perlegatur primum auctoris index, vel summaria; qui si diligens est, excerpatur ipse, & perlegi liber cursorie tantum deinde potest: adnotentur auctoris non libri, & capita (hoc enim nimium), sed paginae, dummodo praenotes, qua editione sis usus; & potest deinde, & alius facile obiter sup-

Digitized by Google

ſupputare in ſua editione: in titulis autem maxima diligentia eſt adhibenda, ut accurate adſignentur; ſed bene fieri poterit ex Elementis, ubi in partitionibus termini juris enarrantur: addatur *Bern. Lavinheta*, Monachus Ordinis Minorum, in Com. ad Artem Magnam Lullii, ubi terminos juridicos non inepte recenſet. Ut tamen titulos adſignari denuo neceſſe non ſit, commodiſſimum eſt, dictionarium charta pura diſtingui, & cuilibet voci in latere adnotanda adſcribi: porro quoties auctor de materia tota agit, adnotetur locus ad vocem ſimpliciter, v. g. de Dominio; ſin de certo aliquo ſubtitulo, ad illum adnotetur, v. g. de Modis Adquirendi Dominii, ſeu Cauſis; vel denique de certa in aliquo ſubtitulo quaeſtione, v. g. *ſitne donatio modus adquirendi dominii*, & quum formantur tales quaeſtiones, ut plurimum duobus locis fieri debet adnotatio; v. g. iſta proxima adnoti debet ad dominii cauſam, & ad donationis effectum, ideo ex uno loco ad alium fiat remiſſio, ne idem bis adnotari debeat: quaeſtioni addatur ſignum A. vel N. vel D. ut ſciamus, num auctor affirmet, neget, an dubitet; item ſignum unde ſciamus, tractetne fuſe, accurate &c. quod & admonet *Drexelius* in Aurifodina.

§. 89. *Uſus finis, & effectus* locorum communium hic eſto. Ubi quilibet penſum abſolverit, fiat deinde collectio in unum; ſed ita ut jam fiant toto libri, quot perſonae in conficiendis ipſis *pandectis* adhibebuntur, & quo distributio-

BIBLIOTECA GIORGIO ALMIRANTE UNIVERSITÀ DI ROMA
by Google

nes: quum enim pandectarum confectio fieri debeat ſecundum materiarum diſtributionem, ſic v. g. uni adſignata materia inſtitutionum, alii legatorum, alii codicillorum; ita in unum librum conſcribantur collectanea de legatis, in alium de codicillis &c., & cuillibet ſuum detur, ut, evolutis auctoribus, ex iis nucleum conficiat in pandectas referendum.

§. 90. Syntagma ipſum juris univerſi, ſeu *pandectae* fiant, ut dixi, ex locis communibus, eodem ordine, quo *elementa inſtitutiones*, *breviarium*. Ponantur propoſitiones, quantum fieri poteſt, univerſales, & controverſiae, caſuſque tantum ii, qui ſunt dubii: addantur rationes demonſtrativae ex Elementis, &, ſicubi difficilis objectio eſt, illa ſolvatur, leves omittantur. Si caſus in legibus deciſus eſt, non allegetur alius auctor, niſi ille rationem aliquam egregiam deciſionis afferat, aut objecta diluat. De cetero in qualibet quaeſtione, vel caſu adnotetur unus tantum auctor, qui primus eum attulit, ac determinavit; addantur illi tantum, qui novas quaſdam rationes de ſuo attulerunt, aut ſolverunt, & allegata quidem addantur margini. Nec erit incommodum, ſi in uno libro *elementa*, *breviarium*, *pandectae* imprimantur, ſed diverſis typis. Talem *pandectarum* librum certus ſum, ſupra duo volumina in folio non impleturum; quia in nulla diſciplina, & facultate plus librorum, minus rerum eſt, quam in Juriſprudentia, & cumulantur repetitiones in infinitum. Perfectis jam

pan-

Digitized by Google

pandectis fastigium impositum erit Jurisprudentiae; jamq; silere cogentur loquaciſſimi illi exscriptores, & consarcinatores tractatiſtae, quia index horum *pandectarum* instar omnium tractatuum erit. Ii tantum audebunt aliquid in jure scribere, qui novum aliquem dubium casum observarunt: nam theorica ad *Jurisprudentiam exegeticam*, & *historicam* pertinentia proprie ad jus non spectant, ideo nec *pandectis* inserenda. Quicumque autem aliquid in jure, confectis *pandectis* scribet, non repetet, quae in *pandectis* continentur, sed supplementa tantum, novasque observationes emittet. Haec, quae de conficiendis *locis communibus*, & *pandectis* diximus, ridebunt illi, qui ignorant, quid diligentia & ordo possint: ego vero certus sum, triginta homines opus hoc quantumcumque est, triennio absolvere posse. Sed, quod recte in alio argumento suasit *Janus Caecilius Frey*, incipiatur ab auctoribus vetustiſſimis ordine temporum, ut haberi semper ac consecrari memoriae primus inventor possit. Nisi vero quamprimum suscipitur negotium, vereor, ne succrescente quotidie nova segete, ita oneretur denique suffoceturque inutili librorum mole Jurisprudentia, ut facilior nunc labor omnem tandem humanam diligentiam vincat.

§. 91. Delineavimus ideam *Jurisprudentiae perfectae*, absolvimusque, quod difficillimum erat magnitudinem rei vel votis adsequi; sequitur ut *viam grassandi ad ejus adytа* designemus. Illic di-

Digitized by Google

mus, quae doctori; hic, quae discipulo necessaria sint, dicemus. Illic explicata sunt, quae ad perfectissimum Jurisconsultum in dicasterio aliquo operae pretium facturum requirunrur; hic enarrabimus, quae ad ponendum tyrocinium, & prima boni advocati rudimenta pertinent. Quemadmodum & in Parte Generali didactica primo in idea de ipsis subjectis, causis, objectis seu speciebus habitus usque ad §. 41., in reliquis quatuor paragraphis tanto brevius de ipsa discendi ratione usque ad finem sumus meditati; ita hoc loco imperfectius, methodum nempe discendi docendique, prout cujusque intentio est, vel ad summa contendendi, vel in secundis tertiisque consistendi, restat sub finem explicemus. Toties autem aliquis sibi praeceptor esse potest, quoties non admonebimus praeceptore indigere; adhibito tamen manuductore & illa jucundius faciliusque discet. Ceterum tria erunt *curricula* hujus viae, unum *elementare*, alterum *exegeticum*, tertium *polemicum*,

§. 92. Notandum hic, quum certum tempus adsignabimus, 1) non exacte, sed circiter definiri: 2) hoc esse pro mediocribus ingeniis; neque enim tardos subsistere, nempe celeres praevenire veto: 3) non debere aliquem esse assiduum & accubuum; satis erit & plus satis, si quotidie horae juri impendantur ad summum sex, cujus duae horae cum praeceptore, si quis est, duae ruminationi, reliquae duae lectioni volitanti, maxime historicae, impendantur. *Le-*

ctio

Digitized by Google

Hic autem *historica*, de qua in posterum non amplius dicemus, instituatur hoc modo: Historia universalis studiose cognoscenda est, deinde historia nostrorum temporum; & haec tempore *curriculi elementaris*; in primis historia religionis (§. 35. 41.) & dogmatum (§. 37), Imperii, status rerum publicarum per orbem hoc tempore (§. 40.): quando vero gradus fiet ad compendium librorum authenticorum, seu tempore *curriculi exegetici*, legatur diligentius Historia Romana (§. 31. 32. 33. 34.): denique quum ad breviarium controversiarum, seu *curriculum polemicum* perventum erit; legatur historia juris interna, seu leges variarum Rerumpublicarum (§. 29.), historia ecclesiastica regiminis (§. 38.), historia rerum germanicarum, & medii aevi (§. 39.): ita singula singulis accurate correspondebunt.

§. 93. Nunc age ad ipsa *curricula* studii juris progrediamur. *Curriculum elementare* continet *historiam juris rudem*, *terminos usitatiores*, & *praecepta elementaria*. Diximusque supra (§. 69.) optandum, ut pueri, qui Jurisprudentiae destinantur, prima latinitatis rudimenta discant ex libris juridicis, v. g. institutionibus Justinianeis tit. de Origine Juris, Verborum Significatione, & Regulis Juris; sed quum hoc vulgo non fiat, de ordinariis saltem dicamus: diximus enim Parte Generali (§. 42.), ab anno 12. usque ad 18. primario exercendos in ea professione, ad quam destinantur. Ut autem reliqua studia ibi

Digitized by Google

enumerata ne amittantur, ſtudio juris, ut (§. 93.) dixi, non dabantur horae quotidie plures quam quatuor: unde non omnia haec tria curriculi elementaris membra conjungenda, ſed ita ſeparanda ſunt, ut *hiſtoria juris rudis* ante omnia cognoſcatur ab Urbe Roma condita ad noſtra tempora uſque deducta, exemplo tituli de Origine Juris. Poterit haec in tres plagulas contrahi, & ita accurate pernoſci duabus ſeptimanis. Interea in defectum alterius legatur *Jac. Gothofredi & Guil Forſteri* Hiſtoria; ſed deeſt illis hiſtoria juris recentis: ſic cognoſcet nomina, tempora, auctores, & differentias librorum authenticorum. *Libros* autem *Authenticos* voco, ut ſemel in univerſum moneam, non tantum leges veteres, ſed & recentes, ut Receſſus Imperii, Corpus Saxonicum, & cujuſque Reipublicae ſtatuta vel reformationes.

§. 94. *Hiſtoriam* ſequuntur *termini uſitatiores*; & incredibile eſt, quantum in qualibet diſciplina valeat terminorum cognitio, quos Mathematici non immerito praemittunt. Hi quomodo diſpoſiti eſſe debeant per partitiones, diximus (§. 7. & 22.): in defectum vero libelli ſic ut optamus confecti, adhibeatur Compendium Juriſprudentiae *Vulteii* in Belgio forma 12. editum; ſed deſunt hic quoque termini Juris Germanici medii & recentioris. Hic praeceptore opus eſt, qui ad meliorem definitionis intellectionem caſum aliquem, eumque maxime notabilem, ridiculumve, ex hiſtoriis veris data occa-

Digitized by Google

occasione confingat: v. g. ad exemplum testamenti inter liberos, introducat Regem Philippum inter filium Demetrium & Persea controversias testamento componentem; & similiter de ceteris; nam notae, quo sensibiliores sunt & notabiliores, hoc plus valent ad memoriam (per §. 14. & 23. Part. General.). Nec incommode termini inter discentes a Praeceptore sic distribuentur, ut unus hujus, alius alterius termini historias memoriter recitare possit (§. 13. Part. General.): & quia interrogando excitatur judicium (v. Praefat., ubi de exemplo Socratis, unde *Jonstonius* in Idea Hygieines collegia interrogatoria commendat), jubeantur ipsi casus applicare ad terminos, & contra: detur & opera, ut pro pluribus terminis fiat unus casus, ut tanto plus connexio memoriam juvet. His poterunt impendi menses duo cum dimidio.

§. 95. Post *terminos* sequantur *praecepta elementaria*. Ea quum omittenda sint, quae ex terminis ipsis manifesta sunt, & cuilibet rustico patent si terminos intelligeret, remanebunt pauca fere in solemnitatibus tantum consistentia. Omittendum praeterea est jus vetus, & abrogatum, ut diximus supra (§. 23.); cujus rei ratio reddenda est hoc loco: erunt enim fortasse nonnulli, qui vulgari modo a Justinianeis Institutionibus incipiendum, deinde ad Digesta Codicemque progrediendum putabunt; quorum mihi numquam placuit ratio. Sic enim is orien-

Digitized by Google

tur inutiles repetitiones: 2) ſinguli hi libri juris veteris proprium ordinem habent, hinc confuſio diſcentium: 3) ſaepe ille ordo eſt ineptiſſimus: 4) illi libri continent multa ab uſu remota; nemo autem alicui latinam linguam traditurus, incipit a fragmentis obſoletis *Ennii* & *Pacuvii*, tametſi tempore priora Cicerone fuerint, & eorum, qui cum judicio uſum a non uſu ſeparare poſſint, ſtylum juvent. Immo volunt praeclari quidam docendi maſtri, in latinitate inſtillanda a recentioribus incipiendum, quorum & phraſes & res noſtro aevo commodiores. Fruſtra reſpondent, leges veteres originem hodiernarum eſſe, quae ex illis fluxerint: nam & obſoleta latinitas Ciceronianae origo eſt; in diſcendo autem non ſemper natura rerum, ſed commoditas ſpectanda eſt: originem judicio confirmato deinde facile diſcent. 5) Illi libri ob multa vetuſtatis veſtigia ſtatumque Reipublicae a noſtro abhorrentem ſunt difficiliores; hinc 6) confuſio fit Juriſprudentiae exegeticae & didacticae, & 7) tyro praeter rerum difficultatem etiam verborum obſcuritate oneratur: 8) immo inſeruntur juventuti falſae opiniones de Republica hodierna & regimine Romani Imperii, ut eumdem cum veteri eſſe arbitrentur ſtatum, nempe monarchicum: in quem errorem lectio juris veteris, & hodierni ignoratio plurimos Juriſconſultos duxit, quod non male conqueritur peſſimus alioquin auctor *Hyppolitus a Lapide*. Quem vero librum potiſſimum commendem inte-

interim, qui in defectu conficiendorum Elementorum, Juris legatur, quique jus hodiernum methodice breviterque tractaverit, non invenio; magno, nescio, an pudore meo, an Jurisprudentiae dedecore. Porro, ut *praecepta elementataria* hodierna tanto melius retineantur, detur opera praeceptori inter explicandum, ut cuilibet placito juris, etiam arbitrario, rationem assignet, aut congruentiam quamdam interdum ridiculam excogitet; v. g. testes in testamento requiri septem, quia septem sint syllabae horum verborum *testes in testamento*. Talibus utuntur Judaei in docenda lingua Hebraica. Porro tam in definitionibus, quam praeceptis allegentur ad marginem loca legum classica; eaque inter docendum evolvantur, ut paulatim assuescant stylo legum, & adquirant memoriam in illis localem, promptitudinem evolvendi, & confusam cognitionem. Cognitis igitur *terminis*, impendentur *praeceptis elementaribus* 3. menses; & ita *curriculum elementare* anno dimidio absolvetur.

§. 96. *Curriculum exegeticum* sequitur. Sed ne nunc quidem ad ipsorum juris librorum ordinatam totalemque perlectionem tyro ducendus est, antequam combiberit *breviarium controversiarum*, seu *curriculum polemicum* absolverit; quia alioqui nullo usu leget, non intelligens, quo quid collimet. Sed si controversias pernoverit, non solum scopum videbit, sed & inter legendum, proprio marte nova ab aliis non depre-

prehenſa ipſe, ad hujus, vel illius controverſiae deciſionem ſpectantia, obſervabit. Ut tamen quoad ſumma rerum capita perinde ſit, ac ſi libros legum authenticos legiſſet, proponantur 1) ſeries titulorum, 2) Inſtitutiones Juris Univerſi, ſeu compendium librorum authenticorum, 3) antinomiae. Series titulorum per tabulas optime diſcetur imaginando ſibi fortiter methodum Triboniani; &, quantum fieri poteſt, titulos unius libri ſub unum genus commune redigendo (adde ſupra §. 52.). Nos certe libros Codicis duodecim verſibus ſic complexi ſumus, unoque ſic cujuslibet titulos comprehendimus, ut qui hos teneat, facile e veſtigio judicare poſſit, ad quem librum pertineat quilibet titulus, quum tamen in Codice tam multi ſint unius libri tituli. Series titulorum *Jac. Gothofredi* maxime placet; & poterit menſe abſolvi, dum accedat poſtea evolvendi exercitatio.

§. 97. Inſtitutiones Juris Univerſi, ſeu compendium librorum authenticorum, quomodo conficiendum ſit, diximus (§. 54.). Hoc jam juriscultori pervolvendum eſt, ut non ſolum, quid juris ſit, ſed & quid juris fuerit, diſcat; quorum illud ex Elementis, hoc ex Inſtitutionibus hauriet: Inſtitutionibus enim his, ſeu compendio inſerenda erunt & abrogata, quemadmodum in ſuis Inſtitutionibus *Juſtinianus* ipſe eorum non obliviſcitur. Allegenda ſunt ad marginem & evolvenda loca legum, non ſolum claſſica, ut in Elementis (§. 96. *fin.*), ſed omnino ad omnia-

rem

rem pertinentia, ita tamen, ut classica singulari signo vel charactere dignosci ceteris possint. Pro Institutionibus Juris Interni in defectum adhiberi poterit Jurisprudentia Romana *Vulteii*, non brevis illa in Belgio forma duodecima edita (de qua §. 95.), sed grandior in forma octava edita Marpurgi, quae munus hoc non incommode implet: quia vero plurima Elementis praeoccupata sunt, poterunt tribus mensibus absolvi Institutiones; evolutio enim non in collegio fiet, sed domi. Praeceptor aliqua tantum loca extra ordinem huic vel illi evolvenda proponat in ipso collegio, diligentiae excitandae causa. Antinomiae quomodo in brevem libellum colligendae, quem diximus Antinomicum Minorem explicatum (§. 52.), sed sic tractandus: Primo evolvantur juris loca, & tentet juris studiosus, an possit proprio marte penetrare, tum in quo leges obstent, tum quomodo conciliandae: deinde consulat alios, qui antinomiam solverunt; non quod eorum solutionem memoriae mandare necesse sit, sed ut artem solvendi ipsis exemplis discat, assuescatque leges etiam ab aliis non conciliatas ad harmoniam redigere; sed eas, quas magni viri insolubiles judicant, diligenter memoriae mandet. Igitur poterit antinomicus mense uno non difficulter absolvi. Sed talis, qualem requiro, scriptus non est, poteritque quatuor plagulis comprehendi. Quare totum *exegeticum curriculum* itidem semestri finietur. Interim, durante *curriculo exegetico*, poterit juris

cul-

cultor collegiis disputatoriis paulatim assuescere, curias etiam & judicia frequentare, & acta publica evolvere, quae res incredibiliter ad praxin & realia praeparat.

§. 98. *Curriculum polemicum* sequitur, quod alterum studii juridici annum sibi deposcit. Nunc igitur ad *breviarium controversiarum* accedat studiosus juris, non quasi jam Judex, sed hactenus ut cognitor tantum. *Breviarium* quomodo conficiendum, & ab alienis segregandum sit, diximus (§. 78.); sed quum tale nondum confectum sit, cogemur interim in gratiis nostris *Treutlero* uti. Quomodo autem adhibendum sit, nunc dicemus, remque plane singularem in publicum proferemus, mixturam nempe collegii disputatorii, & practici in isto super *breviarium* collegio experiundam. Scilicet sint discipuli ad minimum duodecim: horae diei impendendae duae: quaestiones quolibet bihorio tractentur 12.: 6. discipuli sint respondentes, 6. opponentes, seu 6. actores, & 6. rei: quilibet 2. quaestiones minimum defendat, vel oppugnet: modus tractandi non sit diffusus, syllogisticus, sed Germanicus, practicus, ut in judicio; inde discent *vom mund aus in die feder verfahren*, seu oretenus proponere, & ex tempore respondere, & replicare, actor formet casum *in seinem satz*, in sua propositione, & adferat argumenta pro; reus respondeat & adferat argumenta contra brevissime, sine inutilium verborum coarcevatione: haec reciprocatio bis fiat; Praeses vero, tam-

Digitized by Google

thmquam Judex, concipiat ſententiam, eique rationes decidendi inſerat. Ita aderit hoc compendium, quod multa argumenta ſimul congerentur in unum, non proponentur ſyllogiſtice, nec invitationibus tempus teretur, aut adſumptionibus, aut gratiarum actionibus. Et quia in foro, aut deliberationibus, orationibuſque publicis argumenta non proponuntur ſyllogiſtice; diſcet ita juris cultor vim argumenti percipere, & latentem errorem detegere, etſi non ſit ſyllogiſticum: neque enim Logicae, neque latinae linguae diſcendae cauſa tale collegium diſputatorio-practicum habetur. Erit & haec utilitas, quod in reſponſionibus, & replicationibus extemporaneis, quolibet ſuum ſermonem ſine alterius interpellatione, ut in publicis magnorum virorum Orationibus moris eſt, deducente, meminiſſe neceſſe eſt multorum alterius argumentorum, vel reſponſionum, quod, niſi aſſuetus, non poteſt; aſſueſcet autem optime Juvenis tali collegio diſputatorio practico: vulgaris enim in Academiis diſputandi mos in communi vita non eſt uſitatus, tum quia latinus, tum quia interruptionibus creber; ſed in publicis conſeſſibus, deliberationibus, concertationibus Senatorum, Litigatorum, & Advocatorum non licet alterius ſermonem interrumpere: quare & Juvenes in Academiis paulatim ad uſum communis vitae ſunt praeparandi. Porro actor caſum formatum reo ac Judici communicet die proximo antecedente. Brevitate autem ſumma opus eſt, ut quilibet

BIBLIOTECA DEL SENATO
UNIVERSITA
DI
ROMA

Digitized by Google

ſſbet horæ poſſint abſolvi 6. quæſtiones. Sed hic adhiberi poteſt egregium artificium; nempe plures quæſtiones cognatæ ejuſdem materiæ poſſunt commode in unum caſum compingi, quemadmodum & in judiciis multæ controverſiæ ſimul concurrunt: ita res facillime exitum ſortietur, poteritque anno abſolvi *breviarium*, etſi 3600. quæſtiones contineat. Ad Argumentum autem pro & contra habenda, diſputantes loca legum & Doctorum in *brevario* citata evolvent; ita poterit unus alterius rationes praevidere.

§. 99. Atque ita totum ſtudium juridicum biennii ſpatio finietur, & plus fortaſſe efficietur, quam quinquennio illo vulgari, quod auctor Menippi anonymus, ſed, ut conjicio, *Joh. Valentinus Andreas* in Magia Chriſtiana, ad tam exiguum temporis ſpatium, ſi inutiles occupationes ſubtrahantur, reduxit, ut me luſtri hujus pudeat, miſereatque. Decurſo hoc biennio, deſinet ſtudioſus juris diſcipulus eſſe, jamque ipſe ſibi controverſiarum judicium adrogabit, &c.

tandem cuſtode remoto,
in aprici gramine campi

per Juriſprudentiae vaſta ſpatia volitabit; leget libros legum authenticos pedetentim, titulos, legeſque maxime neceſſarias prima vice, ceteras pro gradibus in libro illo ſupra (§. 48.) laudato aſſignatis; ſubinde addet, eliciet inde, quae

Digitized by Google

quae ad variarum controverſiarum deciſionem faciunt, & novas regulas, nova univerſalia, ab aliis neglecta fabricabit; adhibebit commentarios, penetrabit in rationes legum, & ſibi paulatim ipſe legislatoris prudentiam ſaltem, niſi & perſonam ſumet; deinde in vaſtum controverſiarum pelagus progreſſus, obſervabit dicaſteriorum conſuetudines, traditaſque eis a majoribus ſententias, pugnas diſſenſusque invicem, & pro ratione populorum, pro Rerumpublicarum diverſitate variantia jura notabit; diſcetque ex immotis juris naturae principiis, & utilitate publica continuo nexu firmas demonſtrationes deducere, & inanes pragmaticorum argutias & allegatiunculas, & contortos ex doctorum auctoritate impertinente, & applicatione brocardicorum inepta nodos, ſcientiae invictae gladio ſecare. Hunc ego verum juris philoſophum, hunc juſtitiae ſacerdotem, hunc juris gentium, &, quod ex eo pendet, publici atque divini conſultum dixero; cui poſſit committi Reſpublica, quem neque ineptae ſtatus ratiunculae ad novandum impellant, neque a promovenda publica ſalute inanis juridicarum quarumdam ſpinarum metus deterreat: concident ſponte ſua macchiavelliſtarum convicia (ipſi ſe politicos, &, ſi Diis placet, etiam ſtatiſtas vocant), qui Juriſconſultos rerum imperitos, cautelarum ſcientes ineptos, Leguleios vocant; deſinentque Principes Gulonum quorumdam aulicorum conſilia, aut verius jugum pati, quando egregius

vir

vir auctoritate, & eloquentia munitus, conſiliis ſuis non aequitatem magis quam utilitatem (inſeparabilis recte aeſtimanti ſocias) circumponet.

§. 100. Hoc omine finiremus, niſi praeſtaret diſperſa quaedam in ſuperioribus in unum contrahi; primum *computationem temporis*, deinde *catalogum deſideratorum* ad imitationem *Fr. Baconis* in Augmentis Scientiarum.

Computatio temporis haec eſt:

	A.	M.	S.
Anni, Menſes, Septimanae			
Pro Hiſtoria Juris Rudi,	-	-	2
Terminis Juris,	-	2	2
Praeceptis Elementaribus.	-	3	-
Summa Curriculi Element.	-	6	-
Pro ſerie titulorum,	-	1	-
Inſtitutionibus Univerſ.,	-	4	-
Antinomico minore.	-	1	-
Summa Curriculi Elementaris & Exegetici ſimul.	1	-	-
Pro Curriculo Polemico ſeu Breviario controverſiarum.	1	-	-
Summa Studia Juris.	2	-	-

Reliquum tempus lectioni liberae peregrinationibus, praxi, & negotiis vitae tribuendum. -

Ca-

Digitized by Google

Catalogus desideratorum hic esto:

Ad perficiendam Jurisprudentiam fiant

1) Partitiones juris §. 8
2) Sciagraphia juris in artem redigendi 21.
3) Novum juris corpus 22.
4) Elementa juris 24.
5) Reformatio brocardicorum 25.
6) Compendium Menochii & Mascardi de probationibus & praesumptionibus 26
7) Theatrum legale 29.
8) Historia mutationum juris 29
6) Historia irenica 41.
10) Philologia juris 42.
11) Philosophia juris 43.
12) Concordantiae juridicae 44.
13) Tropi, formulae, adagia juris 45. 46.
14) Arithmetica juris 50.
15) Antinomicus minor 52.
16) Institutiones juris universi 54.
17) Institutiones juris Caesarei 55.
18) Institutiones juris Saxonici 55.
19) Summa titulorum 56.
20) Leges numeratae 62.
21) Versio legum Germanica 65.
22) Ars hermeneutica 66.
23) Juris naturalis elementa demonstrative tradita 71. *seqq.*
24) Scientia nomothetica 76.

Digitized by Google

25) Breviarium controverſiarum juridicarum 79.
26) Tractatus tractatuum reformatus 84.
27) Bibliotheca juris 85.
28) Loca claſſica ſeu ſedes materiarum 85.
29) Vitae Juriſconſultorum 85.
30) Repertorium juris 86.
31) Pandectae juris novi 91.

Plura nunc non ſuccurrunt, & aliquid mihi ſervandum eſt; revelavi tamen plura quam deſtinarum. Nullus prope paragraphus ſine nova vel inventione, vel contemplatione abiit. Non gloriam, ſed utilitatem quaeſivi publicam, alioqui nomen praeſcripſiſſem. Si quid me effeciſſe videro, tentabo minuere propoſitum proxime *catalogum deſideratorum*: ſin minus, ego me invidiae nota abſolvi. Contemptoribus ſatis ſupplicii ignorantia erit. Veniet fortaſſe aliud tempus dignius noſtro, quo, debellatis odiis, veritas triumphabit.

Hoc mecum opta, lector, & vale.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA
ISTI